DE

PINDARI ODIS

CONIECTURÆ

D. IOANNIS ALOYSII


MINGARELLI

Abbatis S. Mariæ ad Rhenum, & Græcarum Litterarum in Archigymnasio Bononiensi Lectoris publici

AD

IACOBUM BLANCANUM

Publici Antiquitatum Musei Custodem & XXIVvirum Benedictinum.





ANNO M.DCC.LXXII.

BONONIÆ, TYPIS LÆLII A VULPE.
SUPERIORUM PERMISSU.





Jacobo Blancano suo
Joannes Aloysius Mingarellius
sal. dicit.

CUm superiore anno amantissimum patruum Joannem Mariam mors mihi si non immatura, certe necopinata rapuisset, majorem, Jacobe, animo cepi dolorem, quam ut ad usitatas confestim valerem occupationes incumbere, meque ipse a curis, ac tristi solicitudine avocare. Veniebat in mentem assidue vel invito, ejus mihi hominis consuetudinem ablatam fuisse, quem velut domesticum antiquæ virtutis exemplum suspiciebam, quod singulari esset quum integritate ac fide, tum pietate in Deum, benevolentia in suos, caritate in omnes, prudentia quoque non mediocri; laboris vero adeo patiens, ut quinquaginta ferme annos Missionarii primum una cum Julio Cæsare Canalio eximiæ probitatis viro, tum vero etiam publici Catechistæ munere ad extremum usque vitæ mensem sancte perfungens, universam sæpius diœcesim peragrasset: quod ab his autem ei curis superesset otii, id pene totum in obeundis modo Confessarii, modo Concionatoris, modo privati Catechistæ officiis consumeret. Verum illud dolorem summopere augebat meum, quod interitu talis viri & patruo privatus fueram de me benemerito, quem in demortui patris optimi loco observabam, & amico fidelissimo, consiliorumque meorum omnium participe, quem unice diligebam: eo autem tempore ipsum amiseram, quo minime suspicabar: cum enim firma perpetuo valetudine ad quintum & septuagesimum annum usus fuisset, non inanis esse mea videbatur spes, illum aliquot adhuc annos mansurum in vita. Sed, o fallaces hominum cogitationes! expectationem repente fefellit eventus. Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Attamen ego, qui ejusmodi virum obiisse non audiveram solum, quod ipsum tamen mihi fuisset luctuosum, sed oculis ipse meis morientem conspexeram, quî poteram non dolere vehementer, ac mœrore propemodum opprimi acerbissimo? Ne nunc quidem extremi illius tridui possum memoriam deponere, cum is in lectulo non decumbens, sed confidens, & atra, quam sanus gestare consueverat, veste indutus, supremam tranquillus horam præstolabatur. Qua animi demissione, qua reve-

reverentia divinum viaticum inhians, sacerdotali stola cervicibus circumposita, accepit! qua firmitate status, dum rite sacro oleo inungeretur, precationes recitavit! qua constantia me ipsum in primis, tum cunctos, qui aderant, bono esse animo jubebat! Sed oculos statim ab hujusmodi spectaculo avertamus, ne refricato vulnere fletus rursum oboriantur, & lacrimae. Dum hac ergo anxius premerer aegritudine, meministi profecto, Jacobe carissime, cujusmodi a me promissum extorseris. Nam cum pro summa, qua me semper complexus es, humanitate dolorem meum levandi causa me convenisses, sermonem de meis in Pindarum Conjecturis, quas festinanter olim scripsisse me noras, instituisti, ut callide me ad hilaritatem revocares: tum hortari paulatim aggressus es, ut eas in manus hominum emitterem. Verum ego cum tergiversari vellem, Quin ipse te potius exhorter, inquam, Jacobe mi, quod a multo jam tempore, ut scis, facio, ut quae dudum parturis, parias aliquando? Nae tu si vetustas cum pateras, quaecumque ad hanc diem detectae sunt, tum inscriptiones, quae apud nos extant, diligenter a te collectas, concinne dispositas, & docte illustratas evulgaveris; rem facies omnibus antiquitatis amantibus gratissimam: de mearum vero Conjecturarum editione, spem, quaeso, omnem abjicito: nam & ego sacris magis, quam profanis jamdiu studiis oblector, nec illae dignae sunt quae lucem aspiciant. Noli enim putare, veterem aliquem codicem reperisse me, cujus auctoritate Conjecturae illae meae fulciantur: ea tantum, quae, dum Pindarum olim legerem, menti occurrebant, chartulis quibusdam commisi, quae ubi nunc lateant, ne memini quidem: sed quanti illae pretii sint, ex eo facile cognosces, quod Pauwii viri doctissimi *Notae in Pindarum* tunc mihi prorsus ignotae forent: quas cum postmodum percurrerim, pleraque ex iis, quae emendationis indigere visa erant, ingeniose ab ipso emendata fuisse comperi: quamvis mihi, ut verum fatear, & nonnulla, quae ille scripsit, parum probentur, nec menda omnia, emunctae ceteroqui naris homo, olfecisse videatur. Haec ubi tunc dixeram, non dubitabam, quin incepto desisteres: verum tu capta e postremis, quae mihi exciderant, verbis occasione tam blande urgere, tam comiter impellere me coepisti, tam acer in flagitando fuisti, ut polliceri pene coactus sim, me specimen saltem aliquod earum Animadversionum editurum. Fidem itaque datam nunc libero, illudque ad te ipsum mitto: ei namque debetur, quo auctore atque impulsore in publicum edi-

editur: præfertim quum tam multa fint, quæ mihi te cariffimum faciant: probitas potiffimum tua, animi candor, ac moderatio fingularis, qua fit, ut, etiamfi opibus ac divitiis affluas, nemini tamen te met ipfe anteponas, nec defidiæ, ut plurimi divites faciunt, te dederis, fed jam inde ab adolefcentia cum aliis difciplinis, tum hebraicæ etiam græcæque linguæ operam navaveris, nunc vero patriarum antiquitatum accuratus inveftigator fis, atque eruditus illuftrator. Vale. Dabam Bononiæ in Ædibus S. Salvatoris, VII. Idus Maias, anno Domini M. DCC. LXXII.

DE PINDARI ODIS

CONIECTURÆ.

Pindari lectione haud parum olim delectabar: itaque facile comperi, multa in illius reperiri Odis, quæ nobiliffimo poeta indigna fint: nam & metri leges identidem violatas cernebam, & fententias alicubi perplexas, imo interdum etiam abfurdas. Quamobrem celebriores conferre inter fe cœpi, emendatiorefque editiones: fed experiundo didici, nullum extare adhuc typis impreffum exemplar ejus vatis, quod multa non habeat medicam manum poftulantia, etfi tam multi, iique eruditione clari, atque optime de Pindaro ipfo meriti magnis cum laboribus & expurgare conati fuerint, & illuftrare. Nemini tamen mirum id videri velim: haud fcio enim, an veterum Poetarum ullus tam male a veruftis librariis fit tractatus, quam Pindarus, five quod Dorica dialecto fcripferit, five quod conftantibus metris ufus nequaquam fuerit, five quia ad intelligendum fæpe difficilis eft, five potius has omnes ob caufas. Experiri igitur volui, utrum pleraque faltem, fi non omnia ex hoc vate menda tolli poffent, ac totum a prima ad poftremam Odam perlegens, quo mendofum unumquemque locum modo emendari poffe conjicerem, adnotavi. Verum id cum perfeciffem, Joannis Cornelii Pauwii Notas in Pindarum anno Domini M. DCC. XLVII. Trajecti ad Rhenum impreffas fuiffe accepi: quas cum avide poftea evolviffem, plurima quidem, imo pleraque acutiffime ab illo emendari intellexi;

ali-

aliqua tamen adhuc menda superesse, quæ si quis sustulerit; tum demum editio Pindari adornari poterit omni ex parte, quantum sine veterum membranarum ope fieri potest, absoluta, comparatis nimirum inter se iis exemplaribus potissimum, quæ a Petro Brubacchio, ab Henrico Stephano, ab Erasmo Schmidio, a Joanne Benedicto, ab Oxoniensibus sociis Westio, ac Welstedio edita sunt, & ipsis Pauwii Notis: nisi cui forte sors adeo propitia futura sit, ut vetus aliquod, emendatumque Pindari exemplar detegat: cujusmodi forsitan esset si quod in Herculanensibus voluminibus, cum evoluta fuerint, inveniretur. Mearum igitur Animadversionum specimen hocce nunc in lucem profero: ac si illud a viris doctis non inutile judicari sensero, ceteras fortasse Conjecturas meas evulgabo. Ideo autem hoc eas nomine inscribo, ut intelligat lector, pauca in illis esse, quæ ut certa exhibeam, ac libenter me quæcunque de Pindari Odis dicturus sum, ea eruditi lectoris judicio subjicere: multo autem libentius, quæ de divino Psalte mox scribam, Romanæ Ecclesiæ, quæ tutissima Christianorum omnium magistra est, definitioni submittere.

CAPUT I.

An Pindarus Psalti recte ab aliquibus comparetur.

NOnnulla Pindaro cum Psalte esse dicitur similitudo. Placet itaque alterum cum altero paulisper conferre: quod dum facio, nemo, opinor, injuriam Psalti a me inferri suspicabitur: duobus enim modis spectari is potest: primo ut divinus scriptor, ac Propheta Dei afflatu futura prænuncians; deinde ut poeta eximius, ac nobilissimus. Si priore quidem illo spectetur modo, tantum Pindaro præstat, quantum vera fabulosis, gravia levibus, sacra profanis, utilissima supervacaneis, divina denique humanis antecellunt: quocirca insulsus præ illo hac ratione videatur Pindarus necesse est, nisi quis forte impii nugatoris Voltærii ineptiis, commentis, turpibus calumniis, ac deliramentis captus fuerit; cujus tamen de Hebræis divinorum Codicum Scriptoribus judicia quanti facienda sint, vel ex eo unusquisque facile intelligere potest, quod homo ne primam quidem Hebræorum literam norit, ut alibi perspicue ostendi. Sin autem altero modo Psaltem spectare voluerimus, equidem non video, cur præclarissimum Hebræum Vatem nequeamus cum

cum græco poeta præclariſſimo conferre, ut appareat quid interſit inter utrumque, aut in quo ſimiles dici poſſint. Ad rem igitur ſtatim venio, ac præcipua, quæ mihi egregium hocce poetarum par aliquantiſper expendenti in mentem venerint, breviter exponam. Quæ autem de Pſalte, aut potius de Pſaltibus dicturus ſum, ea de aliis omnibus pulcherrimarum, quæ in ſacris libris extant, Odarum, ſeu Canticorum auctoribus, Moſe, Habaccuco, & ceteris vere magna ex parte dici poſſe, lector per ſe ipſe comperiet: ego enim brevitatis cauſa ſermonem ad Pſalmos contraho.

Primo igitur in excellentibus utrumque Scriptorem poetis numerari, neminem latet. Ac Pindarus quidem quantum in poeſi excellat, vel ſolius Flacci teſtimonium demonſtrat; incredibilibus enim ipſum laudibus extollit. Pſaltis vero poemata quam pulcra ſint, illi etiam, qui hebraicæ linguæ rudes omnino fuerint, facile cum ex aliis cognoſcere poterunt, tum e Xaverio Matteio, qui Italicis ea verſibus reddens, multaque doctrina, & eruditione illuſtrans Neapoli, quæcumque lectori Pſalmos ipſos commendare valeant, diligenter perſequitur.

II. Si qua eſt Pindarum inter, ac Pſaltem ſimilitudo, ea in loquendi formulis ſita non eſt, ni fallor: nam & græcæ linguæ indoles ab hebraicæ diſtat quam longiſſime, & vix binas reipſa, aut tres me in Pindaro locutiones legere memini, quas hebraicas aliquo modo hebraiciſve affines videri cuipiam poſſe cenſerem, cujus generis ſunt in Pythiis iſtæ: Od. 3. verſ. 184, *ἀλαθείας ὁδὸν*, i. e. *veritatis viam*: & Od. 5. v. 17, *ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ*, h. e. *ambulantem in juſtitia*, aliæque forſitan pauciſſimæ.

III. Pindarus in his, quæ extant, Canticis (de Carminibus enim, quæ interierunt, ſermo non eſt in præſentia) grandi quodam dicendi genere utitur, ac majeſtatis pleno; tenero autem ac molli perraro. Nam ſi decimamquartam Olympiorum Odam, bonamque nonæ Pythiorum partem, aliaque haud multa aliorum Canticorum loca exceperimus, unus quodammodo eſt omnium Odarum tenor, ac ſtylus, verborum ſcilicet, locutionum, ac rerum magnificentia gravis, ſententiarumque ſublimitate elatus potius, quam ſuavis, venuſtus, ac varius: magna certe in eo ſtyli varietas, qualem in Flacco ſuſpicimus, non apparet. At Pſaltis oratio nunc ſublimis eſt atque elata, nunc tenuis ac demiſſa; nunc mollis ac tenera, nunc vehemens

atque

atque acris; nunc flebilis & pathetica, nunc hilaritatis & lætitiæ plena, semper autem argumento, de quo agitur, accommodata. Etenim, ut aliqua proferam exempla, quid sublimius Psalmo, *Diligam te Domine!* Et: *Attendite popule meus legem meam?* Et: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus!* Quid tam dulce, quam Psalmus, *Super flumina Babylonis?* Et: *Beati omnes qui timent Dominum!* At psalmus, *Domine probasti me*, nonne sublimis est æque, ac elegantissimus? Psalmis autem, *Deus laudem meam ne tacueris;* sive, ut vertit Marcus Marinus, *Deus laudis meæ, ne obsurdescas*, Et: *Deus Deorum Dominus locutus est*, nihil novi acrius ac vehementius. Psalmus contra, *Eructavit cor meum*, quam concinnam ac dulcem habet allegoriam? Demum psalmo, *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, quam flebiliter canit divinus Vates, atque animos commovet! quum psalmo vicissim, *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*, hilaritate animos compleat ac voluptate. Pindarus ergo styli splendore ac majestate, ingeniique præstantia, & acumine magnam in lectore admirationem movet. Psaltes autem non modo idem ipsum rerum altitudine, sententiarum elatione, styli granditate sæpissime consequitur, sed passim etiam in lectoris cor penetrans, illud aculeis veluti pungit, atque animum aut flectit, aut commovet, aut oblectat. Fateor equidem plurima in psalmis, quos in Ecclesia canimus, reperiri quæ ad nostram loquendi consuetudinem non apta sint: verum ego non de psalmis latine conversis loquor in hoc Capite, sed de hebraicis: quod autem in hebraico sermone elegans est, id ipsum si latinis vocibus, quæ hebraicis singillatim respondeant, expressum fuerit, horridulum haud raro est, atque insuave.

IV. Pindarus quamvis grandiloquus fere ubique sit, inflatus tamen ejus stylus nusquam est, aut turgidus. In Psalte passim nobilis quædam simplicitas conspicitur, quæ tanto magis placeat, quanto graviora, ac sublimiora sunt ea, quæ scribit, quam illa quæ Odis suis exornat Pindarus, atque extollit.

V. Pindari nulla est Oda, quæ poeticis luminibus, ac schematibus careat, excepta fortasse Isthmiorum tertia. Psaltis contra quædam sunt poematia tenui prorsus dicendi genere conscripta, ac poeticis luminibus vacua. Talis est, verbi gratia, Psalmus, *Beati immaculati in via*, cujus singuli centum septuaginta sex versiculi divinam Legem variis semper modis extol-

extollunt, ac prædicant: tales quoque sunt alii nonnulli ex iis maxime, quos dicimus acrostichos: sed ut cetera deessent, materiæ gravitas atque utilitas satis ejusmodi psalmos commendaret: in quibus tamen humile nihil est, ac regio vate indignum.

VI. Pindarus ea lingua scribit, quæ poeticis vocabulis abundat, ac nominum verborumque inflexiones habet poetarum proprias: quod poetæ carmina componenti valde commodum est. At hebraicus, quo Psaltes cecinit, sermo iisdem nominum ac verborum inflexionibus utitur cum in libera, tum in adstricta certis numeris oratione: ita tamen is loqui consuevit, ut divinum poetam, non historicum quempiam, non rhetorem, non auctorem libri Esther, non Danielem loqui sentias. Græca insuper, qua Pindari Odæ conscriptæ sunt, lingua suavissima est ac mollissima; sæpe tamen asper ipse est, ac durus non concursu tantum verborum aspero, & structura, crebrisque cum hiatibus, tum vocum dimidiatarum sectionibus, sed & locutionibus duriusculis. Psaltis vero lingua aut revera est, aut nostris saltem auribus videtur asperrima; attamen ipsius oratio leniter fluens est, ac jucunda.

VII. Pindarus adeo nonnumquam difficilis ad intelligendum est, ut quamvis plurimi, iique perdocti viri universas ejus Odas illustrare conati fuerint, plura tamen adhuc illius loca obscura sint: dum enim aut metro servit, aut breviloquentiæ studet, aut communes, & ante pedes, ut sic loquar, positas locutiones dedignatur, ac longe, imo interdum longissime repetitas affectat, usurpatque, vix aliquando intelligis, quid proprie verba significent, aut quo referantur, aut quomodo cum proxime superioribus, sequentibusve cohæreant. Psaltis quoque multa sunt obscura; sed ea obscuritate, quæ vitio vertenda non est divino Vati: nam ex eo sæpe proficiscitur, quod hebraicarum vocum, ac locutionum germanam nunc vim ignoremus: interdum ex eo fortasse, quod hebraicus textus leviter alicubi, in iis scilicet, quæ nec fidem attingant, nec morum doctrinam, corruptus sit, atque ex vetustissimis Interpretationibus aut lxx. Interpretum, aut Vulgata alicubi emendandus: alias autem ex eo, quod futura eventa allegorice prænuncientur. Novi equidem multa ex obscuris Pindari locis, quæ ab Interpretibus clare exposita necdum fuerant, perspicua reddi a Pauwio: sed quanam id ratione consequitur Pauwius? Lectiones passim mutat, ingeniosasque proponit conjecturas, nullius sæpe vetusti codicis auctoritate innixas. At si hoc idem in Psalte facere nobis

etiam liceret, ac potestas audendi quidlibet concederetur, facili negotio efficere possemus, ut obscuritas hic quoque si non omnis, magna saltem ex parte evanesceret. Huc accedit quod singulis Pindari Odis genuinum præpositum est argumentum, quod non modicam eis lucem affert. At Psalmi argumentis carent fere omnes: tituli enim, quibus inscribuntur, non argumenta eorum plerumque sunt, neque ad eos illustrandos adjecti, sed ad alia pertinent. Quod si in cujusque Psalmi fronte inscriptum initio fuisset, qua is occasione compositus sit, quidnam potissimum spectet Vates, quis loquens inducatur, aliaque de eodem genere, multo facilius eos posset quisque intelligere.

VIII. Pindari latinæ extant interpretationes, quæ verbum e verbo reddunt: extant etiam paraphrases, Joannis Benedicti potissimum, qui optime est de illo meritus, & Sudorii. Psalmorum autem extat latina versio, quam *Vulgatam* dicimus, quæque multis in locis obscurissima est: extant præterea multæ aliæ, quibus singula hebraica vocabula singulis latinis convertuntur: extant demum paraphrases plurimæ. Jam vero si quis cum hebraicæ linguæ, tum græcæ ignarus, missis paraphrasibus, & commentariis, eas tantum Pindari ac Psaltis, quas dixi, versiones seu metaphrases legat, is in poeta illo admirabili haud multa fortasse inveniet quæ miretur, quin imo pluribus in locis ab ea lectione non injuria fortasse (dicam enim quod sentio) abalienabitur, nisi valde perspicaci sit ingenio, & in græcorum poetarum, atque adeo Pindari ipsius lectione diu multumque versatus: in Psalte contra plurima non admirari ille non poterit, non mira quadam jucunditate continue perfundi, non commoveri passim, non percelli, non ita demum animo affici, ut divinus Psaltes voluerit: quanto magis qui hebraicæ linguæ peritus sit?

IX. Pindarus vocula δὲ iterum, tertio, ac sæpius interdum repetita sententias sententiis ita sæpe subjungit, ut earum inter se connexio veluti lateat, & quasi e profundo puteo post longam investigationem extrahenda sit; imo aliqua non raro verba, quibus tamquam articulis orationis membra jungantur, supplere oporteat; voculam vero ipsam δὲ modo, *&*, interpretari, modo, *autem*, modo, *etenim*, modo, *contra*, aut, *vicissim*, modo, *tamen*, alias vero aliis etiam modis. Similia in Psalte videmus aliquando contingere: quin apud ipsum quoque litterula *Vau præfixa*, ut loquuntur, totidem habet, quot dictiuncula δὲ, signi-

ſignificationes: ſed hæc in Pſalte quidem hebraicæ poeſeos indoli, ac linguæ inopiæ & ſimplicitati tribuenda ſunt: in Pindaro autem nec poeſeos græcæ, nec linguæ, quæ locupletiſſima eſt, ingenio adſcribi poſſunt; ab aliorum enim Poetarum græcorum, etiam Lyricorum, conſuetudine recedit Pindarus hac in re, quantum ex iis quæ ſuperſunt horum ſive opuſculis, ſive fragmentis conjicere licet.

X. Pindarum eximio fuiſſe ingenio oſtendunt ipſius Odæ. *Fervet, immenſuſque ruit profundo Pindarus ore*, ait Flaccus. Id quam vere dictum fuerit, vel ſola Pythiorum quarta Oda poteſt oſtendere. In aliquibus tamen Odis videntur aliqui verſiculi non ſponte, ut ſic loquar, venire, ſed quæſiti, nec e fluentis ingenii vena derivari: tales ſunt quos mox afferam, ac ipſum fortaſſe Olympiorum initium. Pſaltis contra multo fluentior vena eſt, atque copioſior. Sunt tamen & in ipſo quæſita nonnulla. Ita in acroſticho pſalmo CXIX. cur ſextæ ogdoadis verſiculi omnes a copula *Et* incipiunt? Quia ab hebraico elemento *Vav* exordiri debent: nullum enim eſt in hebraica lingua vocabulum a *Vav* litera incipiens, niſi vox hæc ipſa *Vav*. Quod ſi cui illo eodem in pſalmo tam crebra divinæ Legis commemoratio affectata, & ſtudio quæſita videatur, is norit, illud ſibi Pſaltem ibi propoſuiſſe, ut eam in ſingulis centum ſeptuaginta ſex pſalmi verſiculis nominaret.

XI. Pindarus a ſtropha ad antiſtropham, ab ogdoade ad ogdoadem, a diæreſi ad diæreſim, quin & ab epodo ad ſtropham, & ab antiſtropha ad epodum, ſententia nondum abſoluta, frequenter tranſit: imo etiam quodam in loco poſtremum dimidiati vocabuli ſegmentum ex antiſtropha ad epodum tranſfert: quod mihi quidem valde aſperum videtur, ac pene incomptum; cum enim antiſtrophæ ac epodi diverſa ſint metra, diverſa quoque eſſe debuit modulatio, ut diverſus erat canentium ſtatus. In Pſalte autem nihil occurrit ejuſmodi.

XII. Pindarus hyperbata, ſeu vocum tranſpoſitiones habet aliquando magnopere injucundas. Nil durius, verbi gratia, quam collocatio voculæ ȣ̓ in his Olympicæ ſeptimæ verſibus:

καὶ τοὶ γὰρ αἰθȣ́σας ἔχοντες
σπέρμ᾽ ἀνέβαν φλογὸς ȣ̓.

Quid minus ſuave, quam poſitio vocabuli *γλαυκῶπις* verſ. 94. ejuſdem Odæ? aut vocis *πάντων* verſ. 140. ſecundæ Olympicæ? aut dictionis *ὑπέρβιον* verſ. 35. decimæ Olympicæ? aut verbi

πκομίνοντας verſ. 58. octavæ Pythicæ? Id ipſum de voce ἀγὼν dicerem, quæ verſu 24. decimæ Pythiorum Odæ occurrit, niſi eum locum corruptum fuiſſe cenſerem. Talia in Pſalte fere numquam occurrunt: quæ enim loca per hyperbaton exponuntur, ea vel minus inſuavia ſunt, vel ſine hyperbatorum etiam ope explicari poſſunt.

XIII. Epiſodiis Pindarus intemperantius videtur uti: tam crebra enim in eo ſunt, ut paucæ Odæ illis careant: tam longa nonnumquam, ut majorem faciant Cantici partem; velut in prima Olympiorum Oda in Hieronem aut ejus victoriam ſcripta, ubi e centum octoginta octo verſiculis, quibus ea conſtat, centum & quatuordecim in narranda Pelopis ac Tantali fabula inſumuntur: tam longe denique petitæ interdum ſunt Pindari digreſſiones, ita nonnumquam intempeſtivæ, ut in Oda illa, quam dixi, Hieronis regis laudibus ideo Tantali ac Pelopis fabula inſeratur, quia victoriam is retulerat Olympiæ; Olympia autem in Peloponneſo erat; Pelops vero coloniam e Lydia in Peloponneſum deduxiſſe ferebatur. Simili modo in ſecunda Pythiorum Oda Ixionis fabulam non alia de cauſa narrat vates, niſi quia Locrenſium puellarum Hieronem celebrantium gratum animum commemoraverat; Ixion autem ingrati animi cauſa a Jove condemnatus dicebatur. Affines ſunt digreſſiones, quas legimus in Odis Pythicis x, & xi. Quid? quod non a præcipuo tantum argumento ad fabulas narrandas digreditur, ſed & aliquando ab ea ipſa fabula egreditur, quam exponendam ſuſcepit, ut ad aliam tranſeat, ſicut videre licet in nono Pythiorum cantico. Hæc ſive laudanda ſint, ſive non (nec enim auſim judicium ferre, cum Lyricis uſitata fuiſſe conſtet e Phædro) in Pſalte non legimus.

XIV. Pindarus fabulis adeo delectatur, ut plurimæ ſint Odæ, in quibus earum aliquam etſi nemini tunc ignotam diffuſe enarrat. Pſaltes nihil uſquam habet, neque vero habere poteſt fabuloſum, nihil non ſerium, nihil non verum. Quapropter quidquid a Pſalte ſcriptum fuit, id vel poſt centenas, atque adeo innumerabiles ſæculorum ætates cuicumque probetur neceſſe erit. Plura vero ex iis, quæ in Pindaro legimus, inepta jamdiu habentur ab omnibus, etſi a graviſſimo poeta ſumma arte expreſſa fuerint: quis enim ut futilia non irrideat, quæ eleganter ipſe ac magnifice narrat ex. gr. de aureis cornibus cervæ in Hyperboreis regionibus inventæ, de Pelope in lebete cocto, & Diis apud Tantalum cœnantibus appoſito, vel a Neptuno, ut ipſe Pindarus

rus

rus mavult, rapto, atque in cælum translato, ac de affinibus aliis? Isthæc id quidem temporis tolerabilia erant in Poeta, nunc vero intolerandam habent absurditatem.

XV. Pindarus quidem nusquam, ni fallor, se ipse sic exscribit, ut unum eumdemque versiculum bis in ipso reperiamus. Psaltes vero integros interdum, sæpe dimidios versiculos quum in uno, eodemque psalmo, tum in diversis repetit: quod Homerum etiam, aliosque nonnullos poetas fecisse, omnes norunt. Pindarum tamen si haud oscitanter evolveris, non raro illud eveniet, ut quæ uno in loco legeris, eadem postea reperias in aliis Odis. Ita quod de aqua & auro cum victoria ab Hierone Olympiæ relata comparatis legitur initio primæ Olympicæ, id paulo post rursus legimus vers. 75. in tertia Olympica. Quod docet Od. 5. Olymp. vers. 56, & 57, illud iisdem verbis iterat in Isthmiis Od. 5. v. 18. Quod dicit Od. 2. Olymp. tribus postremis versibus, id legimus etiam Od. 13. Olymp. v. 65, & 66. In Pythiis vero Od. 2. v. 45. Ixionis crimen narraturus ab eadem sententia exorditur, quam de Tantalo dixerat in Olympiis Od. 1. v. 87. Sententiam itidem, quæ postremis quinque versibus primæ Pyth. Odæ continetur, sæpe alibi aliis effert verbis. Sua demum carmina tam crebro jaculis comparat, præstantis autem naturæ dona tam sæpe dotibus studio acquisitis præferenda esse inculcat, ut nil frequentius in ipso legas. Psaltes quoque multa multis in locis repetit: sed quæ is inculcat, maximi momenti sunt, atque adeo digna quæ vel centies inculcentur; quæ autem Pindarus, diversi plane sunt generis.

XVI. Pindarus sententias Odis suis, prout occasio tulerit, inspergere studet non inutiles: nihil autem habet unquam turpe, nihil obscenum, nihil non decorum, nihil non, ut illis temporibus, grave: quod enim & fabulæ, quas refert, ridendæ sint, & Deorum cultus, quem lectori continue instillat, superstitiosus, ac vanus, id non tam ei, quam ætati qua floruit, tribui potest. Psaltes totus semper in eo est, ut lectores mirifice oblectando, ac cælesti quadam voluptate perfundendo, ad virtutem ipsos, ad unius Dei timorem, ad servandas divinas leges, ad laudandum Deum invitet, alliciat, trahat.

XVII. Pindarus suam ipsius in poetica arte excellentiam callide aliquando prædicat, ut Od. 5. Nem. stroph. 2. Mercenarium etiam alicubi se prodit, ac vafre mercedem operis exposcit, minus tamen hac in re versutus, quam Simonides, qui *mercede* jam *accepta*, ut fab. 18. libri quarti Phædrus ait, *laudem victorum* *cune-*

canere conſueverat. Sed in Pſalte nullum ejuſmodi nec vani, nec abjecti animi indicium reperias. Pindarum quidem defendere nititur Pauwius in Notis, atque has ab eo labes depellere: quod ut facilius aſſequatur ad verſum 63. undecimæ Pyth. Odæ, lectionem, quæ in omnibus libris eſt, mutat, & pro vocula εἰ, i. e. *ſi*, legit οὐ, i. e. *non*: ſed ea quæ dixi vitia Pindaro a multis jam ſeculis objiciuntur; quæ autem pro illo Pauwius ſcribit, ſi quid valent, vix fortaſſe aliud probant, quam Pindarum non impudenter, ſed tecte plerumque ac aſtute ſe ipſum laudaſſe, ac mercedem operæ flagitaſſe. Pſalti vero talia nunquam exprobrata ſunt, nec exprobrari queunt.

XVIII. Pindarus ſententiarum quaſi compreſſione, verborumque paucitate brevis eſſe conſuevit. Pſaltes vero hebraicæ poeſeos conſuetudini indulgens, dum idem fere duobus modis in eodem ſæpe verſiculo effert, copioſus eſt, ut pene alicubi redundans videatur. Ille tamen in magna verborum parſimonia egregiam quamdam habet *rerum verborumque copiam*, quam in ipſo agnoſcit Quintilianus. Pſalti in magna verborum ac rerum copia præclara quædam brevitas non deeſt.

XIX. Pindaro *eloquentiam* quoque tribuit Quintilianus. Is vero eloquens dicitur qui apte dicit ad perſuadendum, ad movendum, ad delectandum: quæ munera etſi aliter Oratoris, aliter poetæ ſint propria, uterque tamen, ſi recte iis fungitur, eloquens merito nuncupatur. Jam vero hæc tria ſi præſtat Pindarus, multo magis profecto divinus Pſaltes, & modo quodam longe nobiliori, ac divino eadem exſequitur. Ceterum ſi illud quis a me petat, ut aliquem in Pindaro locum indicem, ubi is animos lectorum inflammet atque commoveat, anceps, fateor, diutius hæſerim.

XX. Pindarus ea ſæpe jungit ſimul, quæ haud bene, ſi quis communem loquendi morem a Poetis etiam ſervatum ſpectet, convenire videantur. E prima duntaxat Olympiorum Oda exempla hæc affero. I. ἦτωρ γαρύει, id eſt, *cor narrat*. II. ὕμνος ἀμφιβάλλεται σοφῶν μητίεσσι: *hymnus circumjicitur ſapientum ingeniis*. III. κράτει προσέμιξε: *victoriæ immiſcuit*. IV. ὄλβον καταπέψαι: *felicitatem concoquere*. V. εὐφροσύνας ἀλᾶται: *a lætitia aberrat*. VI. κράτει πέλασον: *victoriæ admove*. VII. ἐν αἱμακουρίαις μέμικται: *in inferiis mixtus eſt*. VIII. μελιτόεσσαν εὐδίαν: *mellitam ſerenitatem*. Has aliaſque hujuſmodi locutiones,

nes, quæ passim in aliis Canticis inveniuntur, minime equidem improbare ausim; aliter enim accipiendæ sunt, quam sonare videntur nunc, cum verbum verbo redditum sit; attamen plus in earum aliquibus concinnitatis quis forsitan desideret ac convenientiæ: id quod psalmos legenti haud scio an unquam contingat.

XXI. Allegorias uterque habet valde elegantes, Pindarus quidem rarius, Psaltes autem crebrius. Aliqua ex utroque exempla subjicio, ut ea inter se conferre lector queat eruditus: verum ne illa etiam, quæ suavissima sunt, insulsa interdum ei videantur, illud ab ipso peto, ut græca, & hebraica præ oculis habeat: ego enim e latinis metaphrasibus loca proferam, ne græcis, hebraicisque vocabulis libellum impleam: metaphrases vero ipsas explicare, aut emendare, non est hujus loci. Primo igitur Oda IV. Pyth. antistr. 12. hæc legimus, quæ allegorica sunt: *Cognosce nunc Œdipi sapientiam. Si enim quisquam ramos magnæ quercus acuta securi prosterneret, fœdaretque ejus admirandam formam, etiam desinens esse fructifera, daret tamen sententiam de se ipsa, si quando ad hybernum ignem veniret ultimum, aut cum erectis columnis domus principis, ad fulciendum posita, laborem gravem sustineret in muris, suum postquam locum desertum reliquisset.* Quæ nihil denotant aliud, nisi Demophilum exulem, patriæ utilem fore, si in eam revocetur. II. Statim post allata verba aliam plane diversam subjungit Pindarus allegoriam: *Tu vero* [inquit] *es medicus maxime opportunus.... Oportet mollem manum admoventem, os vulneris tractare.* III. Rursus aliam proxime adjungit: *Facile est enim* [ait] *urbem concutere etiam imbecillioribus; sed in sede sua rursus collocare difficile sane est repente.* Quartum exemplum extat Od. VI. Pyth. stroph. 1. *Paratus hymnorum thesaurus in divite auri Apollonio luco reconditus est intra muros: quem neque hybernus imber cum impetu superveniens, horrisonæ nubis exercitus implacabilis, neque ventus in recessus maris trudet. omnia rapiente colluvie tundens.* V. binas legimus sibi proxime succedentes allegorias Od. 3. Nem. antistr. 4. *Salve, amice: ego tibi hoc mitto mel mixtum albo cum lacte: commissus autem ros circumdat potum celebrem Æolicis in flatibus tibiarum. Sed est aquila velox inter volatilia, quæ corripit statim procul vestigans cruentam prædam pedibus: Clamosi autem graculi humilia depascunt.* Postremum exemplum occurrit Od. 5. Nem. stropha 2. *Si longos mihi inde saltus fodiat aliquis, habeo genuum celerem impetum: etiam ultra mare feruntur aquilæ.*

Psaltes autem pulcherrimam habet allegoriam Psalmo lxxx,

no-

novem versiculis comprehensam: in quibus de vinea loqui dum videtur, de Ecclesia Fidelium revera sermonem habet. Brevior est, quæ extat Psalmo 144: *Domine inclina cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt: fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos*. Et ea quam psalmo 7. legimus: *Gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum: & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Hujusmodi autem aliæ in psalmis occurrunt passim, quas brevitatis causa prætermitto. Sed illud præterire nolo, totum psalmum xlv. mea quidem sententia perpetuam esse allegoriam, eamque elegantissimam, & *litteraliter*, ut loquuntur Theologi, de Christo, & Ecclesia intelligendam: de his enim duntaxat ibi sermonem habere opinor Psaltem, ac Regis vocabulo Christum, Reginæ sponsæ nomine Ecclesiam designare: de nullo autem alio commode exponi posse.

XXII. Pindarus allegorias aliquando non continuat, sed ita eas abrumpit, ut absonæ videri queant, propterea quod translata verba sibi invicem non respondeant: ut Od. 1. Olymp. v. 180, ubi sic loquitur: *Musa mihi fortissimum telum robore nutrit*. At *nutritionis*, ac *teli* metaphoræ non satis apte videntur copulari. Sagittas pariter *sonare*, *intelligi*, *explicari* quis nostrorum poetarum diceret? quis, pene dixerim, græcorum vel in Lyricis? Oda tamen 2. Ol. v. 149. legimus: *Multæ mihi sub cubito celeres sagittæ sunt, sonantes intelligentibus: ad vulgus autem, indigent interpretibus*. Alia his affinia quisque in Pindaro reperiet: in Psalte autem haud ita facile. Illud potius in hoc frequenter occurrit, ut allegoriæ allegoria subjiciatur: in quo nihil est absoni. Ut cum psalmo 9. ait: *Infixæ sunt gentes in fovea quam fecerunt: in rete isto quod absconderunt, comprehensus est pes eorum*.

XXIII. Ut autem melius conferre inter se possit lector metaphoras, quæ in Pindaro leguntur, ac Psalte, nonnulla alia exempla ex utroque adjicio. Ex Olympicis tamen Odis tantum hæc seligo. I. Od. 1. v. 185: *tempus in sublimi calcare*. II. Od. 2. v. 17. *Siciliæ oculus erant*. III. ibid. v. 42. *Luctus concidit gravis a potioribus bonis*. IV. ib. v. 58. *Diem filium Solis*. V. ib. v. 82. *Seminis radicem*. VI. Od. 3. v. 36. *Luna totum oculum vespere accendit*. VII. ib. v. 44. *Obedire radiis Solis*. VIII. ibid. v. 79. *Attinget e domo Herculis columnas*. Eadem metaphora extat Od. 3. Nem. v. 35. IX. Od. IV. v. 1. *Vibrator tonitrui pedibus indefessi*. X. ib. v. 11. *Ætnam prælum ventosum Typhonis*.

XI.

XI. ib. v. 28. *Mendacio non tingam veritatem*. XII. Od. 5. v. 29. *Fluvius agglutinat stabilium domorum altam silvam*. XIII. ib. v. 34. *Labor sumptusque militant*. XIV. ib. v. 32. *A consiliis inopia producens in lucem*. XV. Od. VI. v. 12. *Sciat in hoc calceo felicem pedem se habere Sostrati filius*. XVI. Od. X. v. 13. *Nunc calculum volutatum quo pacto unda obruet fluens?* XVII. ib. v. 163. *Fac me levibus exire pedibus*.

In Psalte autem crebro hujusmodi exempla occurrunt, quae multo mihi quidem dulcius sapiunt, quam superiora. Paucula haec e multis in medium afferre placet. I. *Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*. II. *In angustia dilatasti mihi*. III. *Peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*. IV. *Puteum excavavit, & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit*. V. *Inclinavit caelos, & descendit, & caligo sub pedibus ejus: & equitavit super Cherubim, & volavit, volavit super alas venti*. VI. *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae: in te projectus sum ex utero*. VII. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*. VIII. *Ipse educet de rete pedes meos*. IX. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente deliciarum tuarum potabis eos*. X. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam*. XI. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. XII. *Vendidisti populum tuum sine pretio*. XIII. *In umbra alarum tuarum me recipiam, donec transeant infortunia*. XIV. *Foderunt ante me foveam, ceciderunt in medio ejus*. XV. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus*. XVI. *Gladii sunt in labiis eorum*. XVII. *Moab olla ablutionis meae*. XVIII. *Super Idumaeam projiciam calceamentum meum*.

XXIV. Similibus, sive similium comparationibus nonnunquam orationem exornat Pindarus, Psaltes autem multo crebrius. In illius Odis paulo plura invenies exempla, quam quae hic affero. I. Olymp. Od. 1. *Optima quidem est aqua, & aurum velut ignis noctu ardens coruscat inter... divitias: at si certamina narrare cupis anime mi, ne jam sole contempleris aliud splendidius astrum lucens interdiu*. II. Od. 2. *Divitiae virtutibus exornatae, sunt stella insignis, verum homini lumen*. III. ibid. *Vehementes loquacitate tanquam corvi*. IV. Od. 3. *Si excellit quidem aqua, divitiarum vero aurum venerabilissimum est; nunc utique Thero ad extremum virtutibus perveniens, attingit columnas Herculis e domo*. V. Od. 6. *Aureas supponentes bene murato vestibulo domus colum-*

nas, velut quando præclaræ sunt ædes, pangemus: auspicantes autem opus. frontem decet facere splendidam. VI. Oda septima incipit a simili: sed locus est longior, itaque illum etsi valde elegantem non exscribo. VII. Od. 10. *Deliciosa modulatio carminum, quæ serius prodierunt, ut filius ex uxore patri* &c. VIII. Od. 11. *Est hominibus ventorum nunc plurimus usus; nunc item aquarum pluviarum, filiarum nubis. Si vero cum labore quis bene agat, suaves hymni posteriorum occasiones fiunt sermonum, & fidum pignus magnis virtutibus*. IX. In Pythiis autem Od. 1. *Iis qui navibus vehuntur viris prima gratia est, navigationem auspicantibus secundum venire ventum: verisimile est enim, etiam in fine feliciorem reditum eos esse consecuturos. Hæc autem ratio propter hos eventus opinionem affert, deinceps Ætnam* [urbem] *futuram esse inclytam*. X. Od. 2. *Lupi more curram, aliis vestigiis aliàs inambulans viis obliquis*. XI. Od. 6. *Dulcis mens, & conversatio cum convivis, & instar cancellati operis apum*. XII. Od. 8. v. 136. *Umbræ somnium sunt homines*. XIII. In Nem. Od. 1. in hanc sententiam loquitur Pindarus: *Sicut Epici poetæ poematum initium plerumque ducunt a Jove, sic Timodemus victorias referre incipit in ludis Nemeæis Jovi sacris*. XIV. Nem. Od. 4. *Neque calida aqua tam mollia facit membra, quam laus cithoræ comet*. XV. ibid. *Aurum excoctum fulgores emisit omnes; hymnus vero rerum præclare gestarum, forte æqualem Regibus facit virum*. XVI. Od. 6. Alcimidem Nemeonicam eleganter cum arvis confert. Lege & eum locum, & undecimam Nemeorum Odam vers. 50, ubi hac eadem rursus comparatione utitur. Demum carmina sua jaculis passim comparat, ut videre licet Ol. 1. v. 180: Ol. 2. v. 149, & 161: Pyth. 1. v. 18, 21, & 86: Nem. 6. v. 47: Isthm. 2. v. 5: Isthm. 5. v. 59: & alibi. Hanc ipsam comparationem, sed alio sensu, multoque aptius adhibet Psaltes, ubi ait: *Molles sunt sermones ejus præ oleo, & ipsi sunt jacula*.

Sed alia nunc e psalmis exempla producenda sunt, ut ea lector cum superioribus conferat, si videtur, atque hæc illis longe aptiora, ac venustiora esse perspiciat. Primum est hujusmodi: *Erit tamquam arbor plantata super rivos aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: & folium ejus non defluet*. II. Erunt impii *tamquam pulvis quem projicit ventus*. III. *Tamquam scuto, voluntate tua* [i. e. benevolentia, & favore tuo] *coronabis eum*. IV. *Eloquia Domini argentum igne examinatum in factura terræ* [i. e. in vase terreo] *purgatum septies*. V. *Fuerunt*

mihi

mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. VI. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus.* VII. *Dediſti nos tanquam oves eſcarum.* VIII. *Lingua mea, calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* IX. *Quis dabit mihi alas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam.* X. *Tamquam fœnum velociter ſuccidentur, & quemadmodum olus herbæ decident.* XI. *Iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* XII. *Mille anni in oculis tuis tanquam dies heſterna quæ præteriit.* XIII. *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* XIV. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* XV. *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit.* XVI. *Erravi ſicut ovis quæ periit: quære ſervum tuum.* XVII. *Sicut oculi ſervorum ad manum dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum.* XVIII. *Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos evaſimus.* XIX. *Dies ejus ſicut umbra tranſeuntis.*

Jam vero vel ex paucis quæ curſim dicta ſunt hactenus, illud colligere facile eſt, magna eſſe inter utrumque Vatem diſcrimina, ac alterum alteri ſimilem haud ſatis recte ab aliquibus dici: etſi vero quis divinum quo Pſaltes movebatur afflatum pauliſper ſeponere voluerit, ac Pſaltem ipſum quaſi lyricum duntaxat Poetam ſpectare, tamen eum Pindaro multis in rebus anteferendum eſſe. Non dubito equidem, aliquos fore ex ludicra Voltærianorum ſecta, qui judicio huic meo non acquieſcant, imo id forſitan irrideant; nihil enim eſt tam verum, tam ſanctum, tam auguſtum, ut facile irrideri non poſſit, præſertim a ſcurra. Sed quod irriſeris, id falſum, aut riſu dignum oſtendere, aliquanto interdum difficilius eſt.

XXV. Quum Pindari, tum Pſaltis poemata eo artificio concinnata fuiſſe, ut ad muſica inſtrumenta cani poſſent, certum eſt: paſſim enim id uterque profitetur. Videndum itaque eſt potius, quid ſit id quo efficitur, ut utriuſque opuſcula non ſermones ſint, ſed carmina, aut poematia. Sed quod ad Pindarum attinet, res eſt explorata. Nimirum ut ejus locutio non oratio dicenda ſit, ſed poeſis, efficiunt formulæ loquendi poeticæ, lumina poetica, figuræ poeticæ. Ut vero non proſa, non ſoluta, ſed ligata ſit, metris efficitur, quæ eadem ſunt in priori cujuslibet Odæ ſtropha, atque in antiſtrophis, ſtrophiſque omnibus, eademque pariter ſunt in priori epodo, ac in epodis omnibus unius ejuſdemque Odæ: Quo artificio ideo contexebantur Odæ, ſicut mihi quidem videtur, ut totus concentus,

seu modulatio, sive σήματτα, i. e. *signa*, *Notæ* videlicet, ut Musici nunc loquuntur, ad quas prima stropha canebatur, antistrophis reliquis, ac strophis aptarentur.

Quod vero ad Psaltem pertinet, res controversa est atque incerta. Nam tropi quidem poetici, lumina poetica, & cetera id genus, efficiunt, ut illius etiam locutio sit poesis, atque a familiari sermone, aut rhetoris oratione absit: sed ut sit adstricta, & vincta, non soluta ac libera, quanam re, quonam vinculo efficitur? Nemo ad hodiernum usque diem quod doctis viris satisfaceret excogitare valuit, nec in quo vinculum hocce situm sit, definire, etsi conati sint multi. Lege, quæso, præclara Calmeti, & Fleuryi *de poesi veterum Hebræorum* opuscula: ac statim intelliges, quam obscura sit quæstio.

In septem quidem acrostichis psalmis, vicesimo quinto videlicet, xxxiv, xxxvii, cxi, cxii, cxix, & cxlv, vinculum quodpiam cernimus; litterarum enim, a quibus versiculi exordiuntur, ordinem quemdam, quem *alphabeticum* vocare licet, servatum conspicimus. Sed primo vinculum hocce tale non est, quale nos quærimus: deinde nihil, aut parum certe sunt septem ad centum quinquaginta: nos vero de psalmis omnibus loquimur: quin latius adhuc patet controversia ab eruditis agitata: nam reliqua omnia Sacrorum Scriptorum cantica complectitur.

Calmetus porro opiniones omnes hac de re ab aliis jam excogitatas rejicit: ipsemet vero hebraicam veterum poesim nullo vinculo constringi, nulla lege, neque metris, neque numeris, neque rhythmis vinciri existimat. Ego autem in Psalte metra quidem, qualia in lyricis potissimum græcorum latinorumque poetarum scriptis servantur, non invenio: ac ne versus quidem similiter cadentes, simulque certum syllabarum numerum, ac stabilem accentuum positionem habentes, ut in hodiernis Italice, Gallice, Hispanice, Anglice scribentibus poetis, in Psalte ipso agnosco: itaque nullam e sententiis, quas rejicit Calmetus, amplecti audeo. Ægre tamen Calmeto ipsi assentior, cum Psaltis locutionem quovis vinculo ac lege solutam fuisse opinatur. Conjecturam igitur quamdam lectori timide propono examinandam. Nimirum simili fere artificio compositos esse psalmos, eaque ratione singulos eorum versiculos quibusdam numerorum mensuris obligatos fuisse conjicio, qua ligati sunt versiculi plurium e sacris Hymnis, quos in Ecclesiasticis Officiis canunt, & *Canones* appellant Græci: aut in eum fere modum quo certis numeris vinctus merito diceretur hymnus, quem quis ita forte

forte componeret, ut eadem plane modulatione cantari posset, qua hymnum, *Victimæ Paschali laudes immolent Christiani*, in Ecclesia quotannis cantare consuevimus. Atque, ut clarius explicem quid velim, valde verisimile videtur mihi, Psaltis locutionem ideo adstrictam ligatamque, non vero liberam, & tamquam freni expertem fuisse, quod psalmos eo artificio scriberet, ut hi ad certas quasdam modulationes nobis nunc ignotas, sed Musicis tunc perspectas, & ad certa instrumenta aptati, certo quodam concentu, certisque signis commode cantari possent, ideoque intra modos quosdam contineri deberent singuli versiculi, non vero extra certos terminos longius excurrere.

Conjecturam porro meam duabus aliis fulcire placet conjecturis. Primam e titulis psalmorum hebraicis duco: plerisque enim psalmis titulus aliquis in fronte inscriptus etiamnum est; ubi autem deest, aut non desiderabatur fortasse olim, aut facile ibi a quolibet suppleri poterat. Tituli porro isti non alia plerumque de causa appositi videntur, nisi ad indicandam modulationem, qua psalmus canendus foret, aut instrumentum musicum ad quod eum cani oporteret, aut alia hujus generis. Quamnam vero ob causam putemus, eos quos communi vocabulo psalmos nuncupamus, diversis nominibus in titulis appellari? Alius enim ex. gr. vocatur *Mizmór*, hoc est psalmus: alius *Shir*, i. e. canticum: alius, quod eodem tamen recidere videtur, *Shiráh*, i. e. cantio: alius *Shir mizmór*, i. e. canticum psalmus: alius *Shir hammahalóth*, i. e. canticum graduum: alius *Maskil*, quod Vulgatus Interpres vertit vocabulo *intellectus*: alius *Tephilláh*, i. e. *oratio*: alius *Tehilláh*, i. e. Laus: alius *Sigajón*, alius *Michtám*. Nonne hæc nominum diversitas indicio est, poematia isthæc ita ab Auctore contexta esse, ut aliqua certis modulationibus, alia aliis aptata essent? Nonne id ipsum ostendunt cetera fere omnia quæ iis in titulis leguntur?

Altera conjectura e mensuris, ac longitudine versiculorum, quam aliquibus in psalmis constanter servatam videmus, peti potest. Hujusmodi sunt præ ceteris psalmus centesimus decimus nonus, & centesimus duodecimus: duobus enim hisce in psalmis versiculorum distributio, initium scilicet ac finis, certo definiri potest; cum in aliis alicui dubitationi obnoxia esse queat. In psalmo igitur centesimo decimo nono [*Beati immaculati* &c.], singuli centum septuaginta sex versiculi eo artificio scripti videntur, ut & inter se sint si non omnino æquales, parum certe inæquales, & unusquisque in binas ferme æquales partes commode

a le-

a lectore, nedum a cantore dividi possit. Quod ut clarius ab iis etiam intelligatur, qui hebraicas litteras nesciunt, primam psalmi illius ogdoadem hic appono, latinis elementis hebraica exscribens vocabula, & singulos versiculos bifariam dividens asterisco, multas tamen omittens aspirationes, ut omnis vitetur, quantum fieri potest, confusio.

1. Asré temimé dárech * haholechím betorát Jehováh (a)
2. Asré nozeré hedotáv * becol leb (b) jidresúu.
3. Aph lo pahalú havláh * bidracáv halácu.
4. Attá zivita pikkudéca * lisemór meód.
5. Ahaláj jiccónu dracáj * lisemór hukkéca.
6. Az lo ebós beabbití * el col mizvotéca.
7. Aodecá (c) bésher lebáb * belamdí mispeté zidkéca.
8. At (d) hukkéca esemór * al tahazvéni had meód.

In psalmo autem centesimo duodecimo [*Beatus vir qui timet Dominum*] id certius apparet, propterea quod in eo non solum integri cujusque versiculi, sed etiam dimidii cujuslibet initium & finem certo determinat litterarum ordo. Itaque totum, utpote brevem, hic exscribo. Titulus ergo est, *Hallelú-Jah*: quæ voces significant quidem *Laudate Deum*; sed ex ejusmodi titulo intelligebant fortasse cantores, qua modulatione Psalmus canendus esset. Psalmus vero ipse sic se habet:

1. Afré is jaré et Jehováh: Bemizvotáv hafêz meód.
2. Gibbór baárez jijé zarhó: Dor jesarím jeborách.
3. Hon vahóser betó: Vezidcató homédet lahád.
4. Zaráh bahósech or lajsarím: Hannún verahúm vezaddík.
5. Tob is honén umalvéh: Jecalkél debaráv bemispát.
6. Chi leholám lo jimmót: Lezécher holám jijé zaddík.
7. Missemuhá rahá lo jirá: Nacón libbó batúah bijováh.
8. Samúch libbó lo jirá: Had asér jiré bezaráv.
9. Pizzár natán laebjoním: Zidcató homédet lahád (e)

10. Kar-

(a) Judæi pronunciant *Adonaj*, quia nomen ipsum tetragrammaton efferre non audent. Quæ tamen sit genuina pronunciatio, certum non est.

(b) Judæi nunc dicunt *lev*.

(c) Judæi, *Odecbâ*.

(d) Judæi nunc, *Etb*.

(e) Codices hebraici nunc versiculo nono addunt dimidium decimum: sed ex ordine hebraicarum litterarum patet, versiculos 9, 10, & 11. ita distribuendos esse, ut ego illos distribuo: sic enim versiculo nono assignantur, ut superioribus, binæ litteræ, *Pe*, & *Zade*: versiculo 10. binæ, *Koph*, & *Resh*: postremo binæ, *Shin*, & *Tav*.

10. Karnó tarúm becabód: Rafáh jiré vecáhas.

11. Sinnáv jaharók venamás: Taavát refahim tobéd.

Vides, lector, quænam fint duobus hisce in pfalmis menfuræ verfuum. Verifimile autem eft, alios pfalmos aliis menfuris compofitos, aliifque modulationibus accommodatos fuiffe. Aliæ hujufmodi conjecturæ facile tibi in mentem venient, fi titulos pfalmorum inter fe conferas, aut pluribus in pfalmis verficulos cum verficulis comparaveris, fed vulgatam illorum diftributionem, quam Judæi magiftri in hebraicos codices invexere, ut indubitatam non habueris. Ac de fimilitudine, quæ Pindarum inter & Pfaltem intercedere dicitur, hactenus. Venio ad metra ipfius Pindari.

CAPUT ALTERUM.

De Pindari metris generatim, feu de ratione emendandi ea Pindari loca, in quibus metri leges a librariis violatæ funt.

GRæca vox *metrum*, quæ *menfuram* valet, modo pedem denotat, modo fyzygiam, hoc eft, binos pedes, modo integrum verfum, aut *colon*, i. e. membrum, modo certam præfcriptamque a veteribus pedum aut fyzygiarum feriem, ex qua verfus, feu membrum, hujus potius, quam illius generis nominatur. Alias autem ejufdem vocabuli fignificationes prætereo. Cum dicimus ergo, *Hic verfus eft dactylicus hexameter*, nempe fex metra habens, voce *metrum* denotamus pedem: dactylicos enim metimur pedibus. Cum dicimus: *Hic verfus eft iambicus trimeter* [fcilicet tribus metris conftans, etfi a latinis *fenarius* nuncupetur] voce *metrum* fignificamus duos pedes, five fyzygiam: iambicos enim metimur fyzygiis. Cum dicimus: *hoc metrum eft acatalectum*, vox *metrum* accipitur pro integro membro, aut integro verfu. Denique cum dicimus: *Hujus verficuli metrum eft dactylicum*, aut *iambicum*, aut *anapæfticum*, voce *metrum* defignamus quamdam pedum aut fyzygiarum feriem. Quare nos etiam eamdem dictionem modo una, modo alia fignificatione adhibebimus: fed facile intelliget eruditus lector, quid quoque in loco ea denotet.

Jam vero quoniam multa funt in Pindari Odis cum impreffis, tum calamo exaratis loca, in quibus metricæ leges ab exfcriptoribus violatæ funt, dubitandum non eft, quin illa emendare oporteat. Id ergo præter ceteros perficere conati funt Schmi-

Schmidius, & Pauwius: ſed diverſa plane via incedentes. Schmidius ſic pleraque emendavit, ut Pauwio videretur in ea eſſe opinione, ut cum prima cujuſvis Odæ ſtropha convenire adamuſſim debeant inſequentes antiſtrophæ omnes, ac ſtrophæ, itidemque cum priore epodo epodi omnes: adeo ut ſi prima ſyllaba primi verſus in ſtropha ſit brevis, brevis quoque eſſe debeat prima ſyllaba primi membri in antiſtrophis cunctis, ac ſtrophis ejuſdem Odæ: ſi ſecunda illic ſit longa, in his quoque longa eſſe debeat ſecunda: & ita porro. Hanc vero emendandi rationem irridet paſſim Pauwius, ac Schmidium ludibrii cauſa *ſyllabarum menſorem* vocat.

Cenſet autem Pauwius ipſe, ita membrum membro reſpondere debere, ut non quantitates ſyllabarum debeant eſſe utrobique eædem, ſed metra duntaxat: adeo ut ſi primum membrum [ex. gratia] ſit iambicum, alterum anapæſticum, tertium trochaicum in prima ſtropha, vel in priore epodo, ejuſmodi eſſe debeant primum, ſecundum, tertium membrum antiſtropharum, ſtropharumque, vel epodorum; ſed neceſſe non ſit, ut ſyllabæ ſyllabis, ac pedes pedibus ſingillatim accurateque ſint æquales. Ex duabus hiſce quaſi viis alterutram capeſſat neceſſe eſt, qui menda e Pindari codicibus tollere aggrediatur. Videamus ergo, qua incedendum ſit.

Primum itaque ſi ea, quæ Schmidio tribuitur opinio ſic ad vivum, ut ſic loquar, reſecetur, ut ſyllabæ ſyllabis quantitate æquales debere eſſe dicantur, explodenda ſine dubio eſt: nam in antiſtrophicis canticis cum Pindari, tum aliorum poetarum ſpondeo ſæpe dactylus, imo generatim uni longæ ſyllabæ non una longa, ſed binæ breves paſſim opponuntur, & viciſſim duabus brevibus una longa: propterea, ut opinor, quia tantum temporis in efferenda una longa inſumitur, quantum in efferendis duabus brevibus: ideoque una longa dicitur eſſe duorum *ſignorum*, brevis contra unius ſigni. Ex innumeris quæ afferre poſſem exemplis unum ſeligo, primum ſcilicet, quod in Od. 1. Olymp. occurrit. Ibi decimum quintum membrum primæ ſtrophæ eſt hujuſmodi:

σοφῶν μητίεσσι κελαδεῖν,

oppoſitum vero illi eſt hoc alterum:

ὅτε παρ' Ἀλφεῷ σύτο, δέμας,

quæ duo membra cum ſint antiſpaſtica dimetra acatalecta, ſic ea metimur:

σο-

σοφων μητι | εσσι κελαδειν.

οτε παρ' Αλφε | ῳ συτο, δεμας:

itaque in eorum mensione uni longæ φων binæ respondent breves τε παρ, & primi versiculi antispastus antispasto secundi omnino æqualis est, non syllabis tamen, sed spatio.

Deinde in Antistrophicis iambum, verbi gratia, spondeo, quin imo generatim metra metris, non vero tantummodo syllabas syllabis opponi posse, extra controversiam est. Conferat lector in Aristophanis Nubibus versum 278. cum 301. ei opposito: & versum 573. cum 605: & versum 948. cum 461. Atque in Ranis versum 451. cum gemello 457; & versum 455. cum 461. In Æschyli autem Prometheo vincto versum 134. cum 150. Demum in tragœdia, quæ inscribitur *Septem contra Thebas*, versiculos 228, & 235, itidemque 241, & 247. inter se comparet: ac rem ita ut dixi se habere deprehendet. At quod licuit Aristophani, quod Æschylo, quod aliis, id cur Pindaro non licuerit?

Quin imo si illæ, quas Pindari exemplaria omnia nunc exhibent, membrorum distributiones, lectionesque genuinæ sunt, multa in hoc vate occurrunt loca, quæ ipsum id revera sæpe fecisse ostendunt, quod ei licuisse affirmavi. Ita in Od. x. Olymp. versiculi 36, 53, 61, & 78, qui tertio respondent, incipiunt a spondeo; tertius autem ipse ab iambo εμας exorditur; itaque illis omnino æqualis fieri non potest, nisi pro ἑμᾶς legamus ἡμᾶς, aut ἁμᾶς. Verum id ipsum manifestius adhuc patet e sexta Pythiorum Oda, aliisque nonnullis: in quibus etsi metra metris respondeant, pedes tamen pedibus æquales fieri nequeunt ullo modo.

Sed neque lectiones omnes, nec membrorum distributiones, quæ in Pindari extant exemplaribus, dubitationis cujuslibet expertes sunt. Quod enim ad lectiones attinet, multæ vetustis etiam temporibus dubiæ erant, ut e Scholiastis patet; plurima vero nunc loca superesse, quæ emendationem exposcant, nemo diffitetur. Pauwius ipse, ut versiculos ad ea metra redigat quæ ipsi magis arriserint, passim scripturam mutat: facile enim in Pindaro sæpe est spondeum, verbi gratia, ex iambo, aut trochæo facere, non mutatis vocabulis, sed mutata eorum scriptura.

Quod vero ſpectat ad verſuum diſtributionem, ſi veteres Pindari codices cum impreſſos, tum calamo exaratos inter ſe contulerimus, plurima deprehendemus loca, in quibus verſiculi aliter ab aliis diſtributi fuerunt. Exempla hic non affero, quod ea facile quiſque reperire poſſit, ſi Sociorum Oxonienſium, & Pauwii Notas percurrat, ac ea nominatim, quæ ab iis adnotata ſunt ad ſecundam, ad quintam, ad nonam, ad undecimam Olympiorum Odam, ad quintam Pythiorum, & alibi non raro. Quin ubi etiam unam camdemque membrorum diviſionem habent libri omnes, mutatione aliquando opus eſſe agnoſcit Pauwius ipſe: nam in Oda Nemeorum tertia verſiculos ſtrophæ ſextum ac ſeptimum aliter dividit, atque in codicibus omnibus ſecti ſint. Ea igitur verſuum diſtributio, quæ in veteribus membranis, aut in impreſſis libris conſpicitur, adeo certa non eſt, ut gravibus quis ductus coactuſve rationibus recedere ab ea non poſſit aliquando: quod faciam ipſe mox in decimaquarta Olympiorum Oda, alias vero in nonnullis aliis. Cum ergo in verſum incidimus, qui verſui ſibi oppoſito non congruat, non lectio continuo mutanda eſt, præſertim ſi in ea codices omnes conſentiant, ſed videndum prius, utrum mutata verſuum diſtributione, vulgata lectio commode retineri queat.

Simile quidpiam in aliis etiam Poetis, qui antiſtrophica, aut monoſtrophica ſcripſerint, contigiſſe video. Ita monoſtrophica illa, quæ apud Æſchylum exrant in Prometheo vincto verſ. 397, ac ſequentibus, quæque perperam ab aliquibus epodica dicta ſunt, alio plane modo diſtribuenda eſſe docet Pauwius, ac vulgo diſtribui conſueverint. Id ipſum de aliis monoſtrophicis monet, quæ in eadem tragœdia leguntur poſt verſum 524, quæque haud recte antiſtrophica vocata ſunt. In tragœdia vero, quæ dicitur *Septem contra Thebas*, ſtropha quæ occurrit poſt verſum 208, ſuæ antiſtrophæ non reſpondet, niſi medica manus utrique applicetur, ac verſuum diſtributio immutata fuerit.

Neque vero hæc mira cuiquam videri debent. Quam multa enim ob librariorum incuriam, inſcitiamque in veteres libros menda irrepſerint, neminem fugit. At quanto facilius contingere idem potuit in Pindaro, in quo nec metra unquam conſtanter eadem ſunt, & ejuſdem ſæpe vocabuli una pars ad unum membrum pertinet, alia ad aliud; ubi vero germana membrorum diſtributio ſemel turbata fuerit, ſine magna metrorum peritia, & labore haud modico reſtitui nequit, ac definiri? Ut

rem

rem exemplo aliquo illustrem, in medium afferam fragmentum illud Diagoræ Melii, quod solum ex omnibus ejus Scriptoris operibus superesse nunc videtur, quodque ego ad librum 3. Didymi de Trinitate edidi, ac fuse explicavi. Id ita se habet: *Θεὸς πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου νωμᾷ φρένα ὑπερτάταν· αὐτοδαὴς δὲ ἀρετᾷ βραχὺν οἶμον ἕρπειν.* Hoc porro fragmentum ex lyricis Diagoræ Canticis desumptum esse monui citato in loco: cum igitur a vetusto Passioneiani, ex quo illud evulgavi, codicis exscriptore versiculorum distributio omissa sit, in membra secandum est. At quisquis id aggredi voluerit, oportet in primis, ut varia metrorum genera, quæ usitata græcis fuerunt, probe calleat, ac præ oculis habeat. Ea qui norit, ex primis verbis binos hosce cudere potest iambicos versus monometros hypercatalectos:

Θεὸς πρὸ παντὸς
ἔργου βροτείου.

Potest etiam totum fragmentum in hæc membra commode dividere, quæ sequuntur:

. . . . *Θεὸς*
1 *πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου*
2 *νωμᾷ φρένα ὑπερτάταν·*
3 *αὐτοδαὴς δὲ ἀρε-*
4 *τᾷ βραχὺν οἶμον ἕρπειν.*

Qua in distributione primus versus est periodicus, ac similis primo secundæ Odæ Olympicæ: *Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι.* Alter est epionicus dimeter acatalectus, ut 22. ejusdem Odæ: Ἀλλ᾽ ὦ Κρόνιε, παῖ Ῥέας. Tertius est dactylicus penthemimeres, ut 47. tertiæ Olympicæ: *ἱπποσόα θυγάτηρ.* Postremus est choriambicus dimeter catalecticus, ut 47. primæ Olympicæ: *ἐξαπατῶντι μῦθοι.* Potest demum aliis modis fragmentum illud secari, ut alia rursus metra exoriantur.

Verum ex omnibus hisce distributionibus quænam potissimum reliquis anteponenda est? Nemo id certo statuere unquam poterit sine totius Odæ, ad quam fragmentum pertinuit, inspectione. Simili modo si in primis Pindarici alicujus Cantici strophis, aut epodis membrorum distributio semel vitiata fuerit, emendari sine accurato totius Odæ examine non potest. At quis vetustos librarios tam diligentes, aut eruditos fuisse credat, ut ea, quæ dixi, omnia facere voluerint, aut potuerint? cum vel

ipse Scholiastes Metricus, quem quolibet librario doctiorem credere æquum est, erraverit identidem in definiendis versiculorum metris, propterea quod strophas cum strophis, epodos cum epodis non comparaverit. Perspicuum est ergo, germanam versuum distributionem in Pindari Odis & facillime corrumpi a librariis, & difficile emendari potuisse.

Huc accedit quod eadem interdum manente distributione metrum controversum est. Affero exemplum ex Oda quarta Pythica. In hacce versus 510. est hujusmodi: εὖ νιν ἔγνωκε· θεράπων δέ οἱ ὀ. Jam vero si cum Schmidio pro ἔγνωκε legas ἔγνωκεν, versum habebis oppositis plane æqualem, nec de metro laborandum tibi erit, cujusmodi sit. At si e metro ipso statuere volueris, utrum legendum sit ἔγνωκε, an ἔγνωκεν, res incerta reddetur. Nam Metricus quidem Scholiastes versum esse vult epichoriambicum: at si talis est, legere oportet ἔγνωκεν. Pauwius autem ut asynartetum haberi posse ait, idque duobus modis: primo ut constet ex monometro trochaico, & dactylico penthemimeri: deinde ut coalescat ex penthemimeri trochaico, & monometro anapæstico: utrovis autem modo versum dimetiamur, legi posse ἔγνωκε: nempe, ut puto, ob cæsuram.

Demum fit etiam aliquando, ut eadem manente cum versuum distributione, tum lectione metrum dubium sit. Ita versus tertius Odæ secundæ Olympicæ, Scholiastæ quidem Metrico est logaœdicus alcaicus, Pauwio autem antispasticus dimeter hypercatalectus, etsi uterque sic eum legat: ἀρχοντα Διὸς ἐκ προνοιαί

Jam vero ex iis omnibus, quæ dicta sunt hactenus, hæc tandem colligo: qui loca Pindari corrupta pristino nitori ac metro restituere voluerit, eum nunc Pauwianam, nunc Schmidianam rationem debere sequi: imo quotiescumque commode fieri id possit, Schmidianam Pauwianæ præferendam esse: ut enim iambicus versus purior dicitur si iambis constet, minus purus si dactylis etiam, aut anapæstis; ita in Odis Pindari eo purior censendus est versus, quo membris sibi oppositis accuratius congruit. Pindarus sane passim in iis etiam metris, quæ hinc æque ac illum pedem habere possunt, eum in strophis, antistrophisque omnibus usurpare solet, quem in prima Odæ stropha adhibuerit. Cujus rei exempla in ipso statim occurrunt Olympiorum initio. In primo enim primæ strophæ membro cum syzy-

ſyzygia iambica ab iambo incipiat, in verſiculis quoque omnibus primo illi oppoſitis ab iambo exorditur, etſi & a ſpondeo, & a tribracho, & ab anapæſto potuerit incipere. Secundus autem verſus, ſi pro trochaico ithyphallico habeatur, ut eum revera habent omnes, poteſt in ſecunda ſede cum trochæum, tum ſpondeum, tum dactylum habere: ubique tamen dactylum habet (a). Tertius demum verſus, ut alios omittam, cum trochaicus & ipſe ſit, poſſet incipere quum a trochæo, tum a tribracho: attamen cum in prima ſtropha, tum in reliquis omnibus antiſtrophis, ac ſtrophis incipit a tribracho. Ex quo fit ut Schmidiana emendandi ratio tantopere irridenda non ſit, quantopere eam irridet, ac deſpicit Pauwius. Singula igitur loca, de quibus dubitetur, an corrupta ſint, diligenter expendere oportet, vetuſtos in primis codices, ſi fieri poſſit, conſulere, antecedentia, & conſequentia conſiderare, verſum cum verſibus omnibus ei oppoſitis conferre, Pindaricæ poeſeos indolem præ oculis habere, vetera Scholia inſpicere: ac tum demum timide judicium ferre: a lectione autem veterum codicum, niſi cogat neceſſitas, non recedere: ſin autem ea cogat, audacter recedere, etſi veterum Scholiaſtarum obſtet auctoritas: plura enim ſunt loca, ex quibus colligatur, ipſos quoque exemplaria alicubi corrupta præ manibus habuiſſe: cum tamen a vulgata lectione neceſſario recedendum eſt, tantum duntaxat recedendum eſt, quantum neceſſitas poſtulaverit: liberior enim Pauwius nonnumquam mihi videtur, quam par eſt, atque audacior.

CAPUT III.

De quartadecima Pindari Olympiorum Oda.

EOrum quæ generatim hactenus de Pindari metris dicta ſunt, nonnulla nunc illuſtrare placet exemplo aliquo, elegantiſſima ſcilicet illa Oda, quæ Olympicarum poſtrema eſt. In hac enim potiſſimum id mihi videor detexiſſe, quod a nemine adhuc

(a) Sed aliter ego eumdem metior verſiculum, ita ſcilicet ut vel antiſpaſticus ſit, vel proſodiacus. Quod ſi pro antiſpaſtico pherecrateio habeatur, poteſt initio & trochæum habere, & iambum, ac alios etiam quoſdam pedes; ubique tamen habet trochæum. Sin autem ut proſodiacum habere malueris, poteſt ſecundus pes & trochæus eſſe, & ſpondeus, cum tamen trochæus in ſtrophis omnibus, ac antiſtrophis ſit.

huc animadverſum fuit; mutata nempe alicubi ea membrorum diſtributione, quam omnes codices a multis jam ſeculis habent, totum carmen longe concinnius effici.

Hæc igitur Oda a vetuſto Scholiaſte Metrico, a Petro Brubacchio, ab Henrico Stephano, a Joanne Benedicto, aliiſque ſic inſcribitur: Εἶδος μονοστροφικὸν, κώλων ιή· καὶ ιζ', i. e. *Ode monoſtrophica, conſtans membris duodeviginti, & præterea aliis ſeptemdecim*. Secundam vero Odæ partem nec ſtropham, nec antiſtropham ii denominant, nec epodum, ſed hæc tantum verba in fronte ipſius inſcribunt: τὰ ιζ' αὐτοῦ κῶλα, id eſt: *Alia xvii. ejuſdem Odæ membra*. Oxonienſes autem Editores Odam quidem integram *monoſtrophicam* vocant, ſed eam in binas dividunt ſtrophas: cujus rei hanc in Notis rationem afferunt: Μονοστροφικὸν *dicitur* (inquiunt) *non quod unicam* στροφὴν *habeat, ut ſcribit Lonicerus, ſed ſolum ſine* ἀντιστροφῇ *&* ἐπωδῷ. *Schmid. Vocem vero* στροφὴ *addidimus ex mſſ. noſtris*. Demum Pauwius in Notis primam Odæ ſectionem ad ſecundam nihil omnino referri vult, ſed prioris membra metris prorſus differre ab alterius membris. Hæc enim ſcribit: εἶδος μονοστροφικὸν. *Et quidem* ἀνόμοιον, *abſque ulla* σχέσει: *cujus exemplum aliud in Pindaro hodie non extat*.

At ſi de eo dubitare licet, in quo tot viri & ingenio, & doctrina excellentes, tamque de Pindaro benemeriti conſentiunt, equidem conjecerim, ſecundam Odæ ſectionem accurate alteri reſpondere; Odam ſcilicet conſtare e ſtropha, & antiſtropha, aut, quod eodem recidit, e duabus ſtrophis ſibi mutuo reſpondentibus. Conjecturam vero meam hiſce rationibus confirmo.

Si priorum duodeviginti membrorum metra a poſteriorum metris diverſa eſſent, vix a libera, ſolutaque oratione differret Oda: quod & inconcinnum videtur, & a Pindari conſuetudine certe alienum eſt. Fateor utramque ſectionem in membra tribui poſſe, quorum unumquodque ad aliquod metrum redigatur: verum id ipſum facile præſtare quis poſſet in Demoſthene etiam, in Æſchine, in Lyſia: innumera enim fere ſunt metra apud Græcos. At metricum Pindari in Odis artificium non in hoc tantummodo ſitum eſt, ſed in eo præcipue, ut ſtrophæ ſtrophis, epodi epodis reſpondeant. Hoc autem ſublato, id jure de hacce Oda dici poſſet, quod de Pindaro ipſo Dithyrambos ſcribente ait Flaccus:

. . nu-

. . . . *numerisque fertur*
lege solutis.

Illud præterea in hac potissimum Oda mihi videre videor, quod argumento sit, eam versiculorum, seu membrorum distributionem tamquam certam habendam non esse, quam vetusti codices sive manu scripti, sive impressi præseferunt in hoc poematio. Primum enim membrum in Aldi, Brubacchii, Henrici Stephani, & Joannis Benedicti editionibus, atque in codice m. s. ab Oxoniensibus Editoribus citato est hujusmodi:

Καφησίων ὑδάτων λαχοῖσαι,

sed in Oxoniensi Editione sic se habet:

Καφησίων ὑδάτων λαχοῖ-

secundum membrum apud alios est:

αἵτε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν,

apud alios vero:

σαι, αἵτε ναίετε καλλίπωλον ἕ-

tertium quoque, vicesimum primum, & vicesimum quartum a quibusdam uno modo, ab aliis aliter leguntur, ac distribuuntur. Quare vetustis etiam librariis genuina versuum distributio a multis jam seculis ignota fuisse videtur.

Demum, quod maxime conjecturam confirmat meam, si posteriorum septemdecim membrorum dispositio mutetur, ea ad unum omnia primis duodeviginti accurate & numero, & metris congruere comperiemus. Quod tamen miror a nemine usque adhuc animadversum fuisse: eamque ob causam conjecturam hanc meam trepidantius propono.

Sed quo tutius sententiam lector ferre queat, nonnulla prius e variis Pindari editionibus deprompta placet exscribere, quam novam membrorum ipsius Odæ distributionem, lectionemque in medium afferam.

EX

Ex Antiquis Scholiis.

Περὶ τῶν κώλων τοῦ ιδ′ τῶν ὀλυμπίων εἴδους.

Τὸ τεσσαρεσκαιδέκατον εἶδος μονοστροφικόν ἐστι κώλων, ιή· ϗ ιζ′. Τὸ ά, Σαπφικὸν ἐννεασύλλαβον. Τὸ β′, φαλαίκιον. Τὸ γ′, ἐκ χοριάμβου (Pauvvius addit, διϊάμβου) καὶ ἰωνικοῦ ἀπ′ ἐλάσσονος τρίμετρον ἀκατάληκτον (Pauvvius: καταληκτικὸν). Τὸ δ′, φερεκράτειον ἀτελές. Τὸ έ, ἐπιωνικὸν ἀπ′ ἐλάσσονος τρίμετρον ἀκατάληκτον. Τὸ ς′, δακτυλικὴ διποδία ἑξασύλλαβον. Τὸ ζ′, ἐκ παιόνων δύο, ϗ ἀντισπαστικοῦ πενθημιμερές (Pauvvius, πενθημιμεροῦς). Τὸ ή, τροχαϊκὸν ἐφθημιμερές. Τὸ θ′, ἐκ δακτυλικῆς διποδίας ϗ τροχαϊκῆς ϗ ἰαμβικῆς (Pauvvius delet voces, ϗ ἰαμβικῆς) βάσεως πενθημιμερές. Τὸ ί, ἐξ ἀντισπάστου πεντασήμου (Pauvvius, ἑπτασήμου), καὶ τροχαϊκῆς κατακλεῖδος. Τὸ ιά, ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονος ἐφθημιμερές. Τὸ ιβ′, δακτυλικὸν πενθημιμερές. Τὸ ιγ′, τροχαϊκὸν δίμετρον ἀκατάληκτον. Τὸ ιδ′, ἐξ ἰωνικῆς βά-

Eadem Scholia latine.

De membris Odæ xiv. Olympiorum.

DEcimaquarta Oda monostrophica est, membrorum xviii, & xvii. Primum est Sapphicum, novem syllabis constans. II. Phalæcium. III. Ex choriambo, (diiambo), & ionico a minore, trimetrum catalecticum. IV. Pherecrateium imperfectum. V. Epionicum a minore, trimetrum catalecticum. VI. Dactylica dipodia, constans sex syllabis. VII. E duobus Pæonibus, & antispastico penthemimeri. VIII. Trochaicum hephthemimeres. IX. Ex dactylica dipodia, & trochaica basi, penthemimeres. X. Ex antispasto heptasemo, & trochaica conclusione. XI. Ionicum a majore, hephthemimeres. XII. Dactylicum, penthemimeres. XIII. Trochaicum, dimetrum acatalectum. XIV. Ex ionica basi

βάσεως ἀπ' ἐλάττονος καὶ τροχαίου ἐφθημιμερές (Pauvvius, πενθημιμερὲς). Τὸ ιέ, ἰωνικὸν ἀπ' ἐλάσσονος ἐφθημιμερές. Τὸ ις', ἐξ ἰωνικῆς βάσεως ἀπ' ἐλάσσονος καὶ ἰαμβικοῦ ἡμιολίου ἀτάκτου. Τὸ ιζ, ἐκ χοριαμβικοῦ (Pauvvius, χοριάμβου) καὶ ἰαμβικοῦ ἐφθημιμερές. (Pauvvius, πενθημιμερὲς). Το ιή, ἰαμβικὸν ἐφθημιμερές.

Τὰ δὲ λοιπὰ ἑπτακαίδεκα, οὕτως.

Τὸ ά, φαλαίκειον. Τὸ β', ἐκ χοριάμβου καὶ ἰάμβου ἐφθημιμερές (Pauvvius, ἐφθημιμεροῦς). Τὸ γ', ἀλκμαιώνειον δεκασύλλαβον. Τὸ δ', ἀντισπαςικὸν δίμετρον ὑπερκατάληκτον. Τὸ έ, ἐκ χοριαμβικῆς καὶ ἰαμβικῆς βάσεως. Τὸ ς', χοριαμβικὸν ἐφθημιμερές. Τὸ ζ, ἐξ ἀντισπαςικῆς καὶ ἰαμβικῆς κατακλεῖδος. Τὸ ή, ἐκ χοριαμβικοῦ εἰς ἀντισπαςικόν. Τὸ θ', ἐξ ἰωνικῆς βάσεως καὶ τοῦ πεντασήμου, καὶ χοριαμβικοῦ, καὶ ἰωνικοῦ ἀπὸ μείζονος. Τὸ ί, ἀσκληπιάδειον. Τὸ ιά, δακτυλικὴ τριποδία. Τὸ ιβ', δακτυλικὸν ἐφθημιμερές (Pauvvius, πενθημιμερές). Τὸ ιγ', ἐξ ἀντισπάςου καὶ ἰαμβικοῦ, ἐφθημιμερές (Pauvvius, ἐφ-

basi a minore, *& trochaico penthemimeri*. *XV. Ionicum a minore*, *hephthemimeres*. *XVI. Ex ionica basi a minore*, *& iambico hemiolio inordinato*. *XVII. Ex choriambo*, *& iambico penthemimeri*. *XVIII. Iambicum*, *hephthemimeres*.

Reliqua autem xvii. sunt hujusmodi:

Primum est phalæcium. *II. Ex choriambo*, *& iambo hephthemimeri*. *III. Alcmæoneium*, *decem constans syllabis*. *IV. Antispasticum*, *dimetrum hypercatalectum*. *V. Ex choriambica*, *& iambica basi*. *VI. Choriambicum*, *hephthemimeres*. *VII. Ex antispastica*, *et iambica conclusione*. *VIII. Ex choriambico in antispasticum*. *IX. Ex ionica basi*, *et pentasemo*, *et choriambico*, *et iönico a maiore*. *X. Asclepiadeium*. *XI. Dactylica tripodia*. *XII. Dactylicum*, *penthemimeres*. *XIII. Ex antispasto*, *et iambico hephthemimeri*. *XIV.*

Gly-

ἑφθημιμερῆς). Τὸ ιδʹ, γλυκώνειον. Τὸ ιέ, ἰαμβικὸν δίμετρον ἀκατάληκτον. Τὸ ιςʹ, ἐκ χοριαμβικοῦ καὶ ἰαμβικοῦ, ἑφθημιμερές (Pauvvius, ἑφθημιμερῆς). Τὸ ιζʹ, ἰαμβικὸν πενθημιμερές.

Glyconeium. XV. Iambicum, dimetrum acatalectum. XVI. Ex choriambico, et iambico hephthemimeri. XVII. Iambicum, penthemimeres.

Odæ Pindari decimæquartæ Olympicæ ratio metrica ex editione Oxonienſi huc translata.

Στροφὴ ά.

1	– – ∪ –	∪ ∪ – ∪	–	
2	– – ∪ –	∪ ∪ – ∪	– ∪ –	
3	– – ∪ ∪	– ∪ – ∪	– ∪ ∪ –	–
4	∪ ∪ ∪ –	∪ ∪ ∪		
5	∪ – ∪ –	∪ ∪ – ∪	– ∪ –	
6	– ∪ – –	∪ ∪		
7	– ∪ – –	∪ – ∪ –	– ∪ ∪ –	
8	– ∪ – –	∪ ∪ –		
9	– ∪ ∪ –	∪ ∪ – ∪	– ∪ ∪	
10	∪ – – ∪	– ∪ ∪		
11	– – ∪ ∪	– ∪ ∪		
12	– ∪ ∪	– ∪ ∪		
13	– ∪ – ∪	– ∪ – ∪		
14	∪ ∪ ∪ –	– ∪ – ∪	–	
15	– ∪ – –	∪ ∪ –		
16	∪ ∪ – ∪	∪ ∪ – –	∪ ∪ –	
17	– ∪ ∪ –	∪ – ∪ –	–	
18	∪ – ∪ –	∪ – ∪		

Στροφὴ β.

1	– ∪ – ∪	∪ – ∪ –	∪ – ∪	
2	– ∪ ∪ –	∪ – ∪ –	– – ∪	
3	∪ – ∪ –	– ∪ ∪ –	∪ –	
4	– ∪ – ∪	∪ – ∪ –	∪	
5	– ∪ ∪ –	∪ – ∪ –		
6	– ∪ ∪ –	∪ – ∪ –	–	
7	– – ∪ ∪	– ∪ –		
8	– ∪ ∪	– ∪ ∪	– ∪	
9	∪ ∪ – ∪	∪ – ∪ ∪	– ∪ – ∪	∪ – ∪
10	– ∪ – ∪	∪ – – ∪	∪ ∪ –	
11	– ∪ ∪	– ∪ ∪	– ∪	
12	– ∪ ∪ –	∪ – ∪		
13	∪ ∪ – ∪	∪ – ∪ –	∪ ∪ – ∪	
14	∪ – – ∪	∪ – ∪ –		
15	– – ∪ ∪	– – – ∪	∪ ∪	
16	– ∪ ∪ –	∪ – ∪ –	∪ – ∪	
17	∪ – ∪ –	–		

Odæ argumentum ex Joanne Benedicto.

Laudatur Asopichus Orchomenius Cleodami filius a victoria Olympica, et a patria. Interim quia Charites Orchomeni coluntur, ipsis hymnum hunc poeta commendat: easque suis a proprietatibus eleganter celebrat.

Odæ argumentum e Nicolao Sudorio.

Scripta est hæc Ode in laudem Asopici Orchomenii pueri. In urbe autem Orchomeno dedicatum erat et consecratum fanum Gratiis, quibus hoc carmine Pindarus rerum omnium venustatem et pulchritudinem ascribit, easque miris laudibus afficit. Gratiarum laudem formosi pueri encomio convenire existimans.

ΑΣΩΠΙΧΩ ΟΡΧΟΜΕΝΙΩ
παιδὶ σταδιεῖ.

Εἶδος Μονοστροφικόν.
Στροφὴ α΄. κώλων ιη΄.

(Ex editione Oxonienſi)

ΚΑφισίων ὑδάτων λαχοῖσαι, αἵ τε ναίετε καλλίπωλον ἕ-
δραν, ὦ λιπαρᾶς ἀοίδιμοι βασίλειαι
Χάριτες Ὀρχομενοῦ,
Παλαιγόνων Μινυᾶν ἐπίσκοποι,
Κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι.
Σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ κ' τὰ γλυκέα
Γίνεται πάντα βροτοῖς·
Εἰ σοφὸς, εἰ καλὸς, εἴ τις ἀγλαὸς
Ἀνήρ.

ASOPICHO ORCHOMENIO
puero, ſtadii curſori.

Ode Monoſtrophica.
Stroph. 1. membrorum 18.
Metaphraſis.

(Ex editione Oxonienſi)

Cephiſias aquas ſortitæ, quæque colitis pulcris equis claram ſedem, O ſplendidæ celebres Reginæ
Gratiæ Orchomeni,
Antiquorum Minyarum præſides,
Audite, quoniam preces fundo.
Per vos enim jucunda et dulcia
Eveniunt omnia hominibus:
Si ſapiens, ſi pulcher, ſi quis ſplendidus
Vir

Ejusdem Odæ
Paraphrasis
ex Joanne Benedicto.

O Celebres Gratiæ, Orchomeni Minyei fœcundi soli dominæ, quibus Cephisus fluvius per medium Orchomenum labens in sortem obtigit: quæ apud gentem illam egregio equitatu valentem habitatis, et antiquorum Minyarum præsides et curatrices estis, quas fundo preces exaudite.

Quicquid enim apud mortales jucundum existit et suave, vestro fit beneficio: sive quis sapientia, sive quis forma, sive quis fortitudine claret. Quicquid pariter apud

Im-

Eadem Oda latino carmine
reddita a Nicolao
Sudorio.
Ex editione Parisina Federici Morelli anni 1582.

ASOPICO ORCHOMENIO filio Cleiodami, stadii cursori

Ode

eodem numero quo apud Horatium, Mæcenas atavis edite Regibus.

Cephisi vitreum flumen amabiles
Sortitæ Charites, quas genitrix equûm
Pulchrorum Orchomenos suspicit, & colunt
Audaci Minyæ remigio inclyti:
Nostrum hoc lene melos percipite auribus
Puris divæ hilares. Si quid enim placet,
Si quid dulce hominum sensibus affluit,
Si quisquam aut sapiens, aut facie nitens
Insigni, aut meritis clarus honoribus;
Debentur lepidis omnia Gratiis.

Non

Α᾽νὴρ. Οὔτε γὰρ Θεοὶ
Σεμνᾶν Χαρίταν ἄτερ
Κοιρανέοντι χορὺς,
Οὔτε δαῖτας. ἀλλὰ πάντων
Ταμίαι ἔργων ἐν ὐρανῷ,
Χρυσότοξον θέμεναι
Παρὰ Πύθιον Α᾽πόλλωνα
θρόνυς,
Α᾽ένναον σέβοντι πατρὸς
Ο᾽λυμπίοιο τιμάν.

Στροφὴ β΄. κώλων ιζ΄.

Πότνι᾽ Α᾽γλαΐα, φιλησίμολπέ
Τ᾽ Εὐφροσύνα, Θεῶν κρα-
τίστυ παῖδες,
Ε᾽πάκοοι νῦν· Θαλία τε ἐ-
ρασίμολπε, ἰδοῖσα τόνδε
Κῶμον ἐπ᾽ εὐμενεῖ τύχᾳ
Κῦφα βιβῶντα, Λυδίῳ γὰρ
Α᾽σώπιχον ἐν τρόπῳ,
Ε᾽ν μελέταις τὲ ἀείδων,
Μόλον· ὕνεκ᾽ Ο᾽λυμπιόνι-
κος ἁ Μινύεια

Σεῦ

Sequitur Metaphrasis ex editione Oxoniensi.

Vir eft. *Neque enim Dii*
Venerandis absque Gratiis
Regunt choros,
Neque convivia: sed omnium
Dispensatrices operum in
cælo,
Aureo arcu · insignem ha-
bentes
Juxta Pythium Apollinem
thronos,
Sempiternum colunt Patris
Olympii honorem.

Stroph. 2. membr. 17.

Colenda Aglaia, cantuum-
que · a
mans Euphrosyna, Deorum
summi filiæ,
Exauditrices nunc eftote:
Thaliaque can-
tuum · amans, conspicata
hunc
Chorealem · hymnum ob pro-
pitiam sortem
Leviter incedentem, Lydio
enim
Asopichum in modo,
Inque præmeditatis · carmi-
nibus celebrans,
Veni: quoniam Olympica:
victrix Minyea

Te

Sequitur Paraphrasis Benedicti.

Immortales: adeo ut ipsi Dii choros sibi ab hominibus institutos, et quæ sibi ex sacrificiis celebrantur convivia, non sine Gratiis disposita regant: Quæ etiam rerum omnium quæ in cælo geruntur sunt dispensatrices: et suas sedes juxta Pythium Apollinem aureo arcu insignem posuerunt, sicuti ad dextram ejus in Delphico templo collocatæ pinguntur: ipsumque Jovem patrem honore perenni prosequuntur.

O veneranda Aglaia et carminis amans Euphrosyne, tu quoque studiosa cantus Thalia, filiæ Jovis Deorum potentissimi, exaudite me conversis benevolis oculis ad chorealem hunc hymnum, qui leviter in sublime fertur, contextus pro victoria quam prospera fortuna Asopicho impertivit. Nam quia Orchomenus ubi colimini, Minyorum urbs, vestro beneficio, victoria Olympica clarescit, Asopichum vi-

Sequitur Paraphrasis Sudorii.

Non absque his Superi sidera deserunt,
Intersuntque choris, & dapibus sacris:
Quin summo unanimes æthere virgines
Solæ cuncta regunt, atque sedilibus
Circum dispositis, undique Apollinem
Cingentes medium patris Olympici
Æternum numeris concelebrant decus.
Formosa Aglaia, ac Euphrosyne decens,
Et tu læta novis Thalia cantibus,
Spectate hunc placidis luminibus chorum,
Qui vocem atque pedem commovet alite
Felici: huc & ovans venit Asopicum
Dicturus celerem carmine Lydio:
Cum quo urbs alta, Deæ, quæ Minyas alit,
Per vos nunc media fulsit Olympia

Vi-

Sequitur Metaphraſis ex editione Oxonienſi.

Σεῦ ἕκατι, μελαντείχεα δόμον
Φερσεφόνας ἴθι ἀχοῖ,
Πατρὶ κλυτὰν φεροῖσ' ἀγγελίαν, Κλεόδαμον ὄφρα ἰδοῖσ' υἱὸν εἴπῃς, ὅτι οἱ νέαν,
Κόλποισι παρ' εὐδόξοιο Πίσας,
Ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
Πτεροῖσι χαίταν.

Te propter, nigros-muros-habentem domum
Proſerpinæ accede cum-reſonantia,
Patri celebre afferens nuncium, Cleodamum ut conſpicata, de *filio dicas, quod ſibi juvenilem,*
Sinus apud illuſtris Piſæ,
Coronaverit inclytorum certaminum
Alis cæſariem.

His

Sequitur Paraphrasis Benedicti.	Sequitur Paraphrasis Sudorii.
victorem ejus civem Lydia harmonia, et carmine studiose composito celebraturus veni. Ceterum tu Echo ito ad inferos, tenebrosum Proserpinæ regnum, & patri Asopichi Cleodamo refer celebrem filii victoriam: & dic eum pro stadii cursu in illustri Olympia coronam oleaginam accepisse, quo inclytorum illorum certaminum præmio juveniles comas cinxit: sibique tanquam alas addidit, quibus in sublime attollatur, & per ora virorum volet.	*Victrix: sed modo tu Fama sonantibus* *Alis Elysium labere sub nemus:* *Atque illic memora Cleodamo patri* *Victoris pueri, natus uti tener* *Flavi cæsariem verticis auream* *Ramo Palladiæ cinxerit arboris,* *Ventis vere novo flantibus ocyor.*

His præmissis eamdem Odam afferam quo modo ipse eam scribendam, ac legendam esse arbitror, ut antistrophæ metra metris strophæ respondeant, & æqualia sint: quod a me facillime obtineri videbis. Atque ut omnia clariora sint, novam rationem metricam, interpretationem Odæ emendatam, ac nonnullas Notas adjiciam: quibus in Notis levissimarum mutationum, quæ factæ a me fuerint, rationem reddam.

Metrorum nomenclatura juxta meam distributionem.

1 DActylicum trimetrum acatalectum,
– – ‖ – ◡ ◡ ‖ – ◡ ◡ ‖
vel potius antispasticum glyconeium.
– ⏓ – ◡ ‖ ◡ – ◡ – ‖
2 Iambicum trimetrum catalecticum.
◡ – | ◡ – ‖ ◡ ◡ – | ◡ – ‖ ◡ – | ◡

3 Choriambicum trimetrum catalecticum.

– ◡ | ◡ – || ◡ – | ◡ – || ◡ ◡ ⏓ | ◡

4 Pherecrateium imperfectum, i. e. antispasticum dimetrum catalecticum.

◡ ◡ ◡ | – ◡ || ◡ – |

5 Iambicum trimetrum brachycatalectum.

◡ – | ◡ – || ◡ ◡ – | ◡ – || ◡ – |

6 Dactylicum dimetrum.

– ◡ ◡ || – ◡ ◡ ||

7 Periodicum trimetrum brachycatalectum.

– ◡ | – – || ◡ ◡ – | ◡ – || – ◡ |

8 Choriambicum dimetrum acatalectum, incipiens a syzygia iambica.

◡ ◡ – | ◡ – || – ◡ | ◡ – ||

9 Asynartetum ex Dactylico dimetro acatalecto, & penthemimeri trochaico,

– ◡ ◡ || – ◡ ◡ || – ◡ | – ◡ || –

vel antispasticum trimetrum catalecticum.

– ◡ ◡ – || ◡ ◡ – ◡ | – ◡ –

10 Antispasticum dimetrum catalecticum cum trochaica conclusione.

◡ – | – ◡ || – ◡ | –

11 Ionicum a majore hephthemimeres, sive dimetrum catalecticum, cum syzygia trochaica mutila.

– – | ◡ ◡ || – ◡ | –

12 Dactylicum penthemimeres.

– ◡ ◡ || – ◡ ◡ || –

13 Trochaicum dimetrum acatalectum.

– ◡ | – ◡ || – ◡ | – ◡ ||

14 Ionicum a minore dimetrum hypercatalectum, cum syzygia trochaica.

◡ ◡ | – – || – ◡ | – ◡ || ◡

15 Periodicum dimetrum incipiens a syzygia trochaica, & desinens in dipodiam anapæsticam mutilam, vel potius iambicam integram.

– ◡ | – – || ◡ ◡ – | ◡ – ||

16 Anapæsticum dimetrum acatalectum.

– – | ◡ ◡ – || – – | ◡ ◡ – ||

17 Choriambicum dimetrum hypercatalectum.

– ◡ ◡ – || ◡ – ◡ – || –

18 Iambicum hephthemimeres, sive dimetrum catalecticum.

◡ – | ◡ – || ◡ – | ◡

Eadem

Eadem Oda, ſed diſpoſitis aliter membris.

Ἀσωπίχῳ Ὀρχομενίῳ παιδὶ, σταδιεῖ.

Εἶδος ιδ'. (1)

Στροφὴ, κώλων ιγ.

1 ΚΑφισίων (2) ὑδάτων λαχοῖ-
2 σαι, αἵτε ναίετε (3) καλλίπωλον ἕδραν,
3 ὦ λιπαρᾶς ἀοίδιμοι βασίλειαι (4)
4 Χάριτες Ὀρχομενῦ,
5 παλαιγόνων (5) Μινυᾶν ἐπίσκοποι,
6 κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι.
7 σὺν γὰρ ὑμῖν τά γε (6) τερπνὰ ϗ τὰ (7) γλυ-
8 κέα γίνεται πάντα βροτοῖς·
9 εἰ (8) σοφὸς· εἰ καλὸς· εἴ τις ἀγλαὸς
10 ἀνήρ. ὄυτε γὰρ Θεοὶ
11 σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ
12 κοιρανέοντι χορὺς,
13 ὄυτε δαῖτας· ἀλλὰ πάντων τα-

Metaphraſis alicubi emendata.

Aſopicho Orchomenio puero, ſtadii curſori.

Oda XIV.

Stropha, membr. 13.

1 O Cephiſias aquas ſortitæ,
2 Quæ incolitis pulcritudine equorum nobilem ſedem,
3 Pinguis Orchomeni celebres reginæ
4 Charites,
5 Antiquorum Minyarum præſides,
6 Audite, quoniam preces fundo.
7 Per vos enim *quæ* delectabilia quidem, & dulcia *ſint*,
8 Fiunt omnia Mortalibus:
9 Si ſapiens quis, ſi pulcher, ſi illuſtris
10 Vir *ſit*. Nam ne Dii quidem
11 Sine venerandis Gratiis
12 Regunt choros,
13 Neque *ſacras* epulas. Sed omnium

14 ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ
15 χρυσότοξον θέμεναι παρὰ
16 τὸν (9) Πύθιον Ἀπόλλωνα θρόνους
17 ἀέναον (10) σέβοντι (11) πατρὸς
18 Ὀλυμπίοιο τιμάν.

14 Gubernatrices rerum in cælo,
15 Positis apud arcu aureo insignem
16 Pythium Apollinem sedibus,
17 Sempiternum colunt Patris
18 Olympii honorem.

Ἀντιστροφή.

1 Πότνι' (12) Ἀγλαΐα, φιλη-
2 σίδορπε (13) τ' Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου
3 παῖδες, ἐπάκοοι νῦν ἔστε· (14) Θαλία
4 τ' ἐρασίμολπε ἰδοῖ-
5 σα τόνδε κῶμον (15) ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ
6 κοῦφα βιβῶντα. Λυ-
7 δῷ (16) γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ, ἐν με-
8 λέταις τ' ἀείδων ἔμολον· (17)
9 οὕνεκ' Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινύ-
10 εια σεῦ ἕκατι. Με-
11 λαντείχεα νῦν (18) δόμον Φερ-

Antistropha.

1 O veneranda Aglaia, & tu epularum
2 Amans Euphrosyne, illius, qui Deorum est potentissimus,
3 Filiæ, exauditrices nunc estote: Ac tu quoque Thalia
4 Cantuum studiosa, conspica-
5 ta Chorum hunc forte propitia
6 leviter procedentem. Ly-
7 diis enim Asopichum modis, &
8 præmeditatis carminibus decantans veni,
9 quia in Olympico certamine victrix Miny-
10 ea *urbs fuit* propter te. Ad Proserpinæ
11 domum nigris cinctam muris.

pro-

12 Φερσεφόνας ἴθι, Α'-
13 χοῖ, πατρὶ κλυτὰν φέροισ' ἀγ-
14 γελίαν, Κλεόδαμον ὄφρ' (19) ἰδοῖ-
15 σ', υἱὸν εἴπῃς ὅτι οἱ νέαν
16 κόλποισι παρ' εὐδόξοιο Πίσας (20)
17 ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀ-
18 έθλων πτεροῖσι χαίταν.

12 proficiſcere nunc, o E-
13 cho, ut perferas *Aſopichi* patri Cleodemo nobilem
14 nuncium, & cum eum videris,
15 dicas *ei*, filium *ipſius* iuvenilem ſibi
16 cæſariem, in finibus illuſtris Piſæ,
17 coronaſſe inclytorum certami-
18 num *præmio*, *oleaſtri* pinnis.

AD-

ADNOTATIONES.

(1) Pindari Odis plerumque grandi quodam, ac magnifico dicendi genere ſcriptas eſſe, ſuperius dixi. In hac vero etſi quædam non deſideretur elatio, ac dignitas ſtyli, tota tamen videtur mihi veluti mellita, ac ſuaviſſima. Nihil inſuper in ea obſcurum, nihil aſperum, nullum hyperbaton, nulla digreſſio, nullius fabulæ longa narratio, ut in aliis. Quamvis autem tam dulcis videatur hæc Oda ſeorſum ſpectata, ſi tamen cum elegantioribus pſalmis comparetur, multum de illius pulcritudine veluti detrahitur.

(2) In omnibus fere editionibus legitur καφισίων cum α, etſi Cephiſi fluminis nomen Homerus, Pindarus ipſe alibi, & Latini poetæ legerint cum η: Itaque miror, Henricum Stephanum vertiſſe *Cephesias*, non *Cephisias*. In vetuſtis tamen ſcholiis ad hunc locum editio Brubacchii habet κηφισίων: editionis vero Oxonienſis auctores quamvis legant καφισίων, tamen in Notis hæc ſcribunt: Καφισίων (*pro* κηφισίων, *quod etiam nonnulli codices habent*) *legit Schmidius*, *& mſſ. noſtra*. Mihi quoque κηφισίων magis placet. Verum hæc vox metrum turbare videbitur fortaſſe alicui, cum oppoſitus verſiculus incipiat a dactylo, vel trochæo: ſed revera non turbat: nam Pindarus aut ſyllabam φι corripuit, qua de cauſa fortaſſe unum ſigna, non duo, ut Homerus, & ipſemet alibi, in hac voce ſcripſit: aut κηφισίων per ſynizeſim triſyllabum fecit, trium ſcilicet longarum, ut apud Homerum Iliadis libro nono verſ. 382. Αἰγυπτίας eſt trium ſyllabarum longarum, & apud noſtrum poetam Od. XI. Pyth. verſu 67. vox Πυθιονίκῳ eſt tetraſyllaba. Piget talia adnotare, quæ viris græcæ poeſeos peritis notiſſima ſunt. Sed ſerviendum eſt iis etiam, qui minus in illa verſati ſint.

(3) Cacophoniam facile evitare potuiſſet Pindarus, ſi ſcripſiſſet: ἀγλαοῖσι. Sed hæc ille non curabat. Theocritus quoque, etſi ſuaviſſimus ſcriptor, Idyllio primo ait: πέτρα τε τέτυκται.

(4) In hoc nomine ſyllaba ante ultimam proxima λει corripi etiam poteſt, ut verſus in quinta ſede tribrachum habeat loco anapæſti.

(5) Quintus verſiculus Metrico Scholiaſtæ eſt epionicus: Pauvvio iambicus. Sed optime ſic etiam eum dimetiri poſſumus, ut ſit antiſpaſticus trimeter catalecticus: ᴗ – ᴗ – ‖ ᴗ ᴗ – ᴗ ‖ – ᴗ –.

(6) Voculam γε addidi, ut cola inter ſe oppoſita æqualia eſſent. Pauvvius quoque ſexcenties eam addit, ubi ſcilicet libuerit. At ea otioſa hic non eſt, ut alibi apud illum ſæpe, ſed concinniorem reddit ſententiam: nec enim πάντα, i. e. *omnia*, quæ hominibus eveniunt, Charitum auxilio accepta referre decuit vatem, ſed ea tantum, quæ *jucunda* quidem, & *dulcia* ſint, ut Theocritus etiam facit extremo Idyllio XVI. Itaque in Oda IX. Olymp. de ipſis Gratiis ita Pindarus loquitur: κεῖναι γὰρ ὤπασαν τὰ τερπνά· ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγίνοντο: quaſi dicat: *quod grata, & delectabilia ſint quæ facimus, a Gratiis habemus: quod autem ſtrenui ac ſapientes ſimus, a fato.*

(7) Syllaba τὰ producitur ob conſonantes quæ ſequuntur.

(8) Nonus verſiculus poteſt haberi etiam ut antiſpaſticus, conſtans nempe ex choriambo, antiſpaſto pentaſemo, & antiſpaſto mutilo.

(9) Articulum τὸν addidi ex conjectura ob oppoſitum colon. Pauvvius ejus loco ſubrogaret fortaſſe fulcrum aliquod aliud. Liberum cujuſque ſit judicium.

(10)

(10) Primam huius vocis produco, ut alibi Pindarus. Si cui id certum non videatur, is legat αἰτεων.

(11) Tertia plurali persona nunc utitur, etsi antea secunda usus fuerit. Psaltes quoque sæpissime a secunda persona ad tertiam transit.

(12) Libri editi habent πότνι'. Metrum dactylicum exposcit πότνια: Pindarus vero concursum vocalium fugere non consuevit. Sed cum versiculus hicce, item ut primus strophæ superioris, recte haberi possit pro antispastico glyconeio, retineri recte potest lectio vulgata πότνι': sicque antispastus in stropha a spondeo incipiet, in antistropha vero a trochæo: quod absurdum nullo modo est.

(13) Omnes libri habent φιλησίμολπέ, id est, *o cantuum amans*. Ego ingeniosam Pauvvii coniecturam amplexus sum. Nimis enim inelegans videtur, utramque Gratiam; Euphrosynen & Thaliam eodem epitheto insigniri: nihil enim differt φιλησίμολπε ab ἐρασίμολπε. Fateor tamen vulgatam lectionem non tam facile immutandam ab eo esse, qui Pindari opera edere in posterum voluerit: huic enim auctor potius sim, ut Pauvvii coniecturam ad marginem, sive ad Notas rejiciat.

(14) Vox νυν abjecto accentu circumflexo alibi etiam corripitur a Pindaro. Vocem vero ἴστε non metrum duntaxat exigit, sed & sententia. Quare hanc etiam utilitatem genuinæ metrorum distributionis detectio attulit. Nam, si verum amamus, quid asperius quam hæc locutio, ἐπάκοοι νῦν, i. e. *auditrices nunc*. pro *audite nunc*, sive *exauditrices estote nunc*?

(15) Qui interpretati sunt *chorealem hymnum qui in sublime feratur*, næ illi multum de hujus loci venustate detraxerunt. Nomen κῶμον nihil aliud hic denotat, mea quidem opinione, nisi *chorum*, sive cantantium, & saltantium turbam, ac pompam procedentem, & Asopichi Olympionicæ laudes concinentem. Recte Scholiastes recentior: τὸν σὺν ὕμνῳ χορόν. Et Sudorius: *Spectate hunc placidis luminibus chorum*.

(16) Libri typis impressi, item ut calamo exarati habent Λυδίῳ. Vetustum tamen Scholiastem Metricum legisse Λυδῷ observat Pauvvius: quæ vox & metro aptior est, & in Pindaro alibi legitur. Ceterum retinere potuissem Λυδίῳ, & disyllabum facere.

(17) Editi libri habent μέλος sine incremento. Sed codex Bodleianus ab Oxoniensibus editoribus citatus habet ἔμμελον: idque metrum exposcit. Dicitur autem fortasse ex persona chori: eos tamen non redarguo qui ex persona poetæ dictum volunt.

(18) Dictiunculam νῦν omiserunt pleræque editiones, legerunt vero Scholiastes, Aldus, & multi e veteribus Pindari exscriptoribus. Liquet nunc, omittendam non esse, quum & a metro postuletur, & locum reddat elegantiorem.

(19) Plures libri, & manu scripti, & typis impressi habent ἴφρ', ut ipse lego, pro ἴφρα.

(20) Primam huius vocis syllabam corripio. Pauvvius quidem in Notis ad vers. 28. Odæ primæ Olympicæ hæc scribit: Πισας *solet primam producere: hic corripitur propter metrum trochaicum, ut & alibi apud Nostrum, cui Simonidem adjungit Scholiastes*. Sed Pindarus nusquam, ni fallor, eam syllabam producit, etsi in eius Odis duodecies ferme occurrat hoc nomen.

CAPUT IV.

De peculiaribus quibusdam Pindari metris.

SIngulos Pindari versiculos, membra, commata qua ratione metiri oporteat, & ad aliquod e novem præcipuis metris revocare, docuit vetustus Scholiastes Metricus in Scalis initio cuiuslibet Odæ appositis. Sed multa in hisce legimus partim ab exscriptoribus vitiata, partim etiam inepta. Itaque eas recensere aggressus est Pauwius atque emendare: qua de causa gratiæ ipsi habendæ sunt: nisi enim versiculorum in prima Odæ stropha, ac epodo probe fixa fuerit mensio ac stabilita, sæpe ne genuina quidem oppositorum membrorum lectio determinari tuto potest. Verum nonnulla adhuc loca sunt, in quibus neque Metrici, nec Pauwii ipsius dimensiones mihi plane satisfaciant. Ad duplex autem genus hasce revoco. Aliæ enim sunt, quas rejiciendas arbitrer; aliæ, quas etsi omnino explodere non audeam, minus tamen concinnas ducam. In hujusmodi autem rebus ea amplectenda sunt, quæ simpliciora, quæ faciliora, quæ auribus jucundiora, quæ demum, ut sic loquar, rotundiora sint. Primi ergo generis metra septem tantummodo, nisi memoria me fallit, in Pindaro inveni, aut certe invenire me memini: quæ statim subjicio. Sunt autem hæc.

Primo Odæ sextæ Nem. versus primus. Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ. Hunc iambicum esse dimetrum acatalectum cum Metricus, tum Pauwius voluit. Sic ergo illum, reliquosque illi oppositos ac similes metiti sunt: ⏑ - | - - || ⏑ - | ⏑ ⏑ ⏑ ||. Sed equidem iambicos versus, qui paribus in locis non iambicum habeant, sed spondeum, id est qui reipsa iambici non sint, sed polyschematisti, nunquam, nisi necessitate coactus, admiserim. Malo igitur ita hunc metiri, ut sit pæonicus trimeter catalecticus, & constet ex bacchio, cretico, & pæone quarto mutilo: nempe in hunc modum: ⏑ - - || - ⏑ - || ⏑ ⏑ ⏑.

Deinde Odæ IV. Olymp. versus septimus. ξείνων δ' εὖ πρασσόντων, ἔσαναν. Hunc quoque iambicum esse dimetrum hypercatalectum, qui habeat spondeum in secundo loco, suspicatur Pauwius. Metricus vero Scholiastes versum vocat logaœdicum, ex anapæstis, iambo, & syllaba constantem. Ego Scholiastæ ita assentior, ut versum quidem appellem & ipse logaœdi-

dicum, sed asynartetum tamen esse velim qui constet aut ex dactylico penthemimeri, & trochaico monometro, sic: - - | - - || - || - ∪ | - ∪ ||: aut ex dactylico dimetro, & iambico penthemimeri, sic: - - | - - || - - | ∪ - || ∪. Utroque enim modo recte illum metiri licet.

Tertio Odæ x. Pyth. versus quartus: Ἀριστομάχου γένος Ἡρακλέος βασιλῆες: Pauwio anapæsticus est trimeter catalecticus, iambum initio habens: Metrico autem, *compositus ex prosodiaco, & iambico penthemimeri*. Mihi Pauwiana metiendi ratio parum, ut verum fatear, arridet: displicet enim iambus, quem tot consequantur anapæsti, aut spondei: sed illam prorsus rejicere non ausim ob Hephæstionis ejuscemodi anapæsticos admittentis auctoritatem, quam, ut debeo, magni facio. Metrico tamen libenter consentio: sed ita ut versum pro asynarteto habeam, seu potius pro duobus versiculis, quorum primus sit prosodiacus: ∪ - ∪ ∪ || - ∪ ∪ - ||: alter vero anapæsticus penthemimeres: ∪ ∪ - | ∪ ∪ - || -. Quamquam asynartetus quilibet pro duobus commatibus, seu versiculis haberi potest, ut puto, etsi quasi unus exaretur.

Quarto Odæ vii. Isthm. versum alterum: Καλῶν ἐπιχωρίων μάλιστα θυμόν τεόν: Metricus ionicum esse vult tetrametrum brachycatalectum iambo conclusum. Pauwius iambicum potius esse retur trimetrum hypercatalectum trochæo conclusum. Sed neutra dimensio valde cuiquam placere potest: cui enim placeat vel iambus post tot trochæos, vel trochæus post tot iambos? Equidem versum in duo commata secandum esse conjicio, quorum prius ionicum sit, aut iambicum penthemimeres, alterum vero periodicum, in hunc modum:

Καλῶν ἐπιχωρί-
ων μάλιστα θυμόν τεόν.

Sic enim difficultas omnis de medio tollitur. Vocis vero καλῶν prima syllaba & corripi hic potest, & produci, ut omnes norunt.

Quinto Odæ vi. Olymp. versum trigesimum quintum: Τοῦτό γέ οἱ σαφέως μαρτυρεῖ: Metricus prosodiacum dicit. Sed Pauwius, *prosodiaca* [inquit] *ita non cuduntur cum iambo*. Igitur asynartetum esse vult, ex dactylico dimetro, & iambico monometro compositum. Ego, si versus quidem ita legendus sit, ut eum libri exhibent, primæ dimensioni secundam prætulerim;

attamen prima quoque defendi poteſt, ſi poſtremas binas ſyllabas τυχη habitas fuiſſe dicamus a Metrico pro pyrrhichio, qui ſit non dimidius ionicus a minore, ut ſuſpicatur Pauwius, ſed primæ choriambi ſyllabæ reſolutio: in proſodiaco enim verſu pedes alterni eſſe debent. Sed quid ea, quæ minus concinna ſint, tueri ſtudemus? Nonne melius eſt verſum decurtare, ac ſyllabam ſequens in membrum transferre? Ita ſane duo exurgent in inſequentibus Epodis omnibus verſiculi, quorum dimenſio cujuſcumque expers erit difficultatis, & elegans præterea erit, ac ſimpliciſſima: alter nempe proſodiacus erit reflexus dimeter hypercatalectus, alter vero iambicus trimeter hypercatalectus. En illos. 35 τεϊό γέ οἱ σαφέως μαρτυ- 36 ρήσω· μελίφθογγοι δ' ἐπιτρέψοντι μοῖσαι.

Sexto ejuſdem Odæ verſum 25: εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος: Metricus ſteſichoreium eſſe ait cum iambo in fine. Sed poſt binas trochaicas conjugationes iambus ſolus parum placet. Verſum ergo appellare mallim ſteſichoreium trimetrum catalecticum: id eſt, trochaicum, cujus tertia ſyzygia mutila aut e dactylo, & longa ſyllaba, aut ex trochæo, & tribracho mutilo conſtare cenſeatur.

Demum Odæ VIII. Pyth. verſus primus: Φιλόφρον Ἡσυχία, Δίκας: Metrico iambicus eſt: ſed is ſine dubio fallitur: nam ſecunda vocis φιλόφρον corripitur hic a poeta, ut e membris oppoſitis, & conſimilibus perſpicue patet. Pauwius vel dactylicum eſſe contendit, vel pæonicum. At verſus dactylicos a tribracho exordientes quis libenter admiſerit? Altera autem dimenſio vel ipſi Pauwio valde inconcinna videtur, ob diſſimiles pæonas ſimul junctos. Verſum ergo ſic metior, ut ſit antiſpaſticus glyconeius: ∪ ∪ ∪ - ∪ ‖ ∪ - ∪ - ‖. Hæc enim menſio & elegans eſt, neque earum inſtar, quas proponit Pauwius, inuſitata.

Venio nunc ad dimenſiones ſecundi generis, quas dixi. Pauca tamen exempla, eaque trepidanter proponam: ſæpe enim fieri novi, ut quod uni concinnius videtur, id alter minus concinnum putet. Nihil igitur mirabor, ſi vel hæc pauca, quæ proferam, aliquibus non probari ſenſero. Sed libera omnium judicia ſunt, in hujuſmodi præſertim rebus: quin parvi nunc ad recte pronunciandum momenti hæc eſſe cenſentur, cum verſus non canere, ut volebat Pindarus, ſoleant plerique, ſed recitare: itaque genuinas eorum dimenſiones animo magis cernunt,

nunt, quam vocis, ut ſic loquar, interpunctione, menſuram a menſura ſecernendo, exprimunt.

I. igitur verſus 2. Odæ I. Olymp. χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ, Metrico eſt ithyphallicus: - ∪ l - ∪ ∪ ll - ∪. Mihi periodicus: - ∪ l - ∪ ll ∪ - l ∪.

II. verſus 5. ejuſdem Odæ, εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν, ſive, ut legendum ſuſpicatur Pauwius, εἰ δὲ ἐσθλὰ γαρύεν, Metrico eſt ithyphallicus: mihi euripideus: - ∪ l - ∪ ll - ∪ l -.

III. verſus octavus, ἄλλο θαλπνότερον, Metrico eſt trochaicus: - ∪ l - ∪ ∪ l -. At meis auribus valde ingrata eſt ea menſio. Mihi ergo pæonicus eſt dimeter catalecticus, e cretico, & pæone quarto mutilo coaleſcens: - ∪ - ll ∪ ∪ ∪. Eadem ratione quartus Odæ XIV. Olymp. Χάριτες Ὀρχομενῦ, pæonicus haberi poteſt.

IV. verſus 38, Πέλοπος ἀποικίᾳ τῦ μεγασθενής, Metrico eſt compoſitus ex duplici iambico penthemimeri. Pauwio aſynartetus: ∪ ∪ ∪ l ∪ - ll ∪ - : : - ∪ l - ∪ l -. Mihi antiſpaſticus, e ſyzygia iambica, antiſpaſto, & ditrochæo mutilo: ∪ ∪ ∪ l ∪ - ll ∪ - - ∪ ll - ∪ l -.

V. verſus 22. Odæ VIII. Olymp. Ἀλκιμέδοντα δὲ πὰρ Κρόνυ λόφῳ, Metrico eſt encomiologicus imperfectus. Pauwio aſynartetus. Mihi proſodiacus: - ∪ ∪ - ll ∪ ∪ - ∪ ll - ∪ ∪.

VI. verſus 31. Odæ 2. Pyth. ἱερέα κτίλον ἀφροδίτας, Metrico eſt trochaicus dimeter acatalectus. At nonne concinnius eum metiemur ſic: ∪ ∪ ∪ - ∪ ll ∪ - ∪ - ll -: ut ſit antiſpaſticus dimeter hypercatalectus?

VII. verſus 27. Odæ VIII. Pyth. ῥᾶθεν ἐστεφανωμένον, Pauwio eſt trochaicus dimeter catalecticus. Mihi ſimplicior, & elegantior videtur hæc menſio: - ∪ l - ∪ ll ∪ - l ∪ - ll: ut ſit periodicus.

Denique verſus 2. Odæ XI. Pyth. μὲν ὀλυμπιάδων ἀγυᾶτις [ſive, ut addita ſyllaba legunt Metricus, ac Pauwius, μὲν ὀλυμπιάδων ἀγυᾶτις, Ι'.], ionicus ab utroque dicitur, qui nempe incipiat ab ionico pede pentaſyllabo, poſtremam longam in duas breves reſolutam habente. Sed ad hujuſmodi reſolutionem confugere non eſt neceſſe: ſatis enim concinne verſum metiemur, ſi eum pro antiſpaſtico trimetro habeamus vel brachycatalecto juxta primam lectionem, vel catalectico juxta alteram.

CAPUT V.

De metrorum pronunciatione.

IN omnibus linguis versus, nisi eum certis quibusdam numeris, vocisque modificationibus legas, aut recites, aut canas, perit quodammodo, ac illam omnem amittit venustatem, quæ ex metricis legibus derivatur. Id multo magis in Pindaro, dum eum legimus, quam in aliis poetis græcis cum recitandis, tum canendis facere, attenteque servare necesse est: alioquin, cum singulorum versuum diversa sint metra, a soluta oratione vix secernentur, *nisi tibicen accesserit*, ut ajebat Tullius. Supervacaneum igitur non erit de hac etiam re pauca dicere.

Græcos versus ita recitant nunc plerique, ut longas quidem syllabas passim corripiant, breves autem producant: quod etsi in recentiore illo, ac pæne barbaro versuum græcorum genere, qui a Græcis *politici* dicuntur, quique iis plane similes sunt, quos Galli *Alexandrinos*, Itali *Martellianos* nominant, tolerari necessario debeat; in omnibus tamen veterum poetarum metris intolerandum videtur. Legendus sit, verbi gratia, primus primæ Olympiorum Odæ versiculus: Ἄριστον μὲν ὕδωρ ὁ δέ. Qui hanc sequuntur legendi rationem, ii vocem ἄριστον eodem plane modo pronunciant, quo pronuncianda foret, si secunda syllaba esset brevis. Sic ergo versum legunt ut eum legeret latinus, qui ita scriptum inveniret: *Ariston men hydor, ho de*. Ut autem appareat, quam absurda sit hæc legendi ratio, glyconeium hunc versiculum cum versiculis ei respondentibus conferamus. Horum primus est: θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει. Alius: ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον. Alius: ἔλεν δ' Οἰνομάου βίαν. Hos ergo ita fere ii, quos dixi, legunt:

themistion hos amphepi.
echi d' apalamon bion.
helen d' inomau bian.

At quis versiculos ita recitatos agnoscit ut glyconeios, ac primo illi dimensione, & syllabarum quantitate omnino æquales? Perspicuum est ergo hujusmodi pronunciationem ut absonam rejiciendam esse.

Alii contra quoslibet audacter omittere cœperunt accentus,

tus, quosque in libris exaratos reperiunt, nullam eorum rationem habent: itaque græcos versus perirde legunt, ut eos legeret latinus, cui græca vocabula latinis elementis sine ullo accentu scripta exhiberentur. Qui porro ita se gerunt, ii vitium quidem illud, quod modo memorabam, vitant, sed *in contraria* continuo *currunt*, ut cum Flacco loquar. Verum accentus non inventi nudiustertius fuere, sed a plurimis jam seculis ad conservandam (quantum fieri poterat) vetustam, ac germanam pronunciationem, aliasque ob causas excogitati, atque ab universis cum græcorum, tum græce loquentium, aut scribentium nationibus usurpati. Quo ergo nunc jure, qua auctoritate tam magnam græcam in sermonem invehere conantur aliqui mutationem, ut græcus homo, qui horum quempiam græce loquentem audiat, nihil ferme possit intelligere, ac aliena lingua ipsum loqui putet?

At quomodo legendi tandem sunt, inquies, Pindari versus? Dicam quæ probabilia videntur mihi: probabiliora posthac alii afferent, quæ statim & ipse amplectar. Si quis eos quidem canere voluerit, is singula verba ita efferre debet, ut cuilibet syllabæ suam tribuat temporis quantitatem, id est quamcumque syllabam aut unius signi faciat, si brevis fuerit, aut duorum, si longa. Quin illud etiam necessarium videtur esse, ut is vocabula nunc secet quodammodo, nunc inter se jungat ita, ut genuinæ versiculi cujusvis mensioni se se accommodet. Magnopere autem in eo Veteres peccasse videntur mihi, quod Pindari tantum verba ad nos transmiserint, signa vero, ad quæ canenda sint, & Lydios, Doricosque, aliosve modos, tibicinumque, & citharœdorum modulationes iis verbis aptatas neglexerint: ideoque maximam partem ea voluptate nos privaverint, qua sine dubio perfunderemur, si Pindari versiculos ita canere possemus, ut eos cani volebat ipse Pindarus. Quoniam vero ii recitari nunc solent, non vero cani, equidem hanc regulam sequi nos posse censeo, ut in syllaba quidem, quæ circumflexo accentu notata sit, vocem semper, ut sic dicam, extendamus, ac syllabam ipsam producamus: in syllaba autem gravi accentu affecta accentus ipse ferme negligatur: in syllaba denique acutum habente accentum & vocem valde [ut in vernaculis vocabulis *città*, *undò*, *virtù*, *colpì*] acuamus, & nihil in ipsa syllaba, si brevis sit, immoremur, & eamdem tamen in proparoxytono vocabulo a sequenti syllaba, si producenda hæc sit, quodammodo sejungere videamur, quo facilius & syllabæ ipsi

ipsi acutæ, si paroxytonum fuerit vocabulum, & insequenti, si proparoxytonum, suam temporis quantitatem tribuere possimus, idest, pænultimas potissimum cujusque vocabuli syllabas, si breves sint, corripere, si autem longæ fuerint, producere. Videbuntur hæc initio forsitan molesta, ac difficilia; sed facillima usu fient atque exercitatione, præsertim in syllabis a postrema tertiis: in pænultimis enim majorem initio sentient inassueti difficultatem. Quanquam tantopere hac de re solliciti esse non debemus, ni fallor, quantopere multos esse video: si enim nobis licet, quin olim etiam licuit Ciceroni, Catullo, Cæsari vocabulum *Œnomai*, verbi gratia, ita efferre, ut tertiam quidem syllabam manifesto corriperent, secundam vero, quæ brevis est, ferme producere viderentur [eam enim sine dubio acuebant, ut nos facimus, Tullio teste]: quidni licuerit vicissim Græcis veteribus, ac nobis eorum consuetudinem, dum græca legimus, secutis, ita illud idem vocabulum Οἰνόμαε pronunciare, ut secundam syllabam manifesto corripiamus [tres enim syllabas οἰνομα ita efferimus, ut trochæum in iis agnoscere quis statim queat], tertiam vero acuentes pæne producere videamur?

Aliud placet nunc adjungere, quod etiamsi necessarium ad recitandos versus non censeam, ut superiora, elegantiorem tamen nonnumquam reddet pronunciationem, atque commodiorem: ita enim facilius varia versuum genera agnoscent, atque probe a se invicem secernent auditores. Nimirum postremæ cujuslibet vocabuli syllabæ in medio versu paulo aliter, ac postrema cujusque versiculi syllaba, pronunciandæ forsitan aliquando sunt: illas enim, quotiescunque id auris, ac metrica ratio veluti exposcat, ita perbelle extra cantum quoque pronunciari posse reor, ut postrema unius vocabuli cum prima insequentis non jungatur quidem omnino, sed ea tamen vocis inflexione, ac temporis quantitate pronuncientur ambæ, qua pronunciarentur si unum duæ dictiones essent vocabulum: alias vero ita vicissim pronunciari posse unam eamdemque dictionem, ut non in duas quidem secetur, sed iis pæne morulis, ac numeris efferatur, quibus efferretur si non esset una dictio, sed duæ.

Exemplis hæc omnia breviter illustro, quatuor nempe versiculis, quos attuli paulo ante. Equidem illos perinde recitaverim, quasi latinis litteris ita exarati forent:

aristonmen | hydorhode.
themistion | hos amphe-pi.

echi

echi d' apá l lămonbion

helen d' ino l má-ubian,

adeo enim a ſe invicem diſtant in ipſa Oda, ut niſi in hunc fere modum recitentur, vix poſſint qui audiunt ſine cantoris, aut tibicinis, aut citharœdi ope, ad genuinas eorum dimenſiones animum ſtatim advertere, ac mente illas veluti ſupplere. Sed de his jam ſatis ſuperque dictum eſt. Ad alia, quæ majoris momenti ſint, modo tranſeamus.

CAPUT POSTREMUM.

De quibuſdam Pindari locis.

HAud pauca ſunt in Pindaro loca, ut alias dixi, quæ facile ab iis non intelligantur, qui multum in ipſius lectione temporis non conſumpſerint: imo nonnulla etiam, quæ haud ſcio an recte ab ullo adhuc interprete explicata ſint. Has forſitan ob cauſas factum eſt, ut nuper quidam ſemidoctis placere cupiens, dum Pindarum irridere voluit, aut contemnere, ſe ſe ipſe riſu ſimul, & contemptione dignum doctis viris oſtenderit. Si in eam [inquit] Academiam, quam *Gallicanam* nominant, ut cooptaretur, Pindarus peteret, equidem non dicerem, Uti rogas, ſed conventu ipſum excluderem, quantum in me eſt. O ſagacem emunctæque naris judicem! o peritum, ac præclarum poeſeos æſtimatorem! Deſipiebat igitur Horatius, cum victores, quos aliqua e ſuis Odis donarit Pindarus, *munere donatos* ajebat *centum ſtatuis potiore*. Sed bono animo ſis, lector: nihil eſt quod ſibi ab hoc homine Pindarus timeat: multo enim aliter ſine dubio ſentit celebris ille litteratorum cœtus, imo litterarius orbis univerſus. Itaque miſſa hæc facientes, ad rem noſtram redeamus. Ego igitur viciſſim quoties in aliquem ex iis locis incido, quos dixi, ſi is mihi poſt diuturnum & loci ipſius, & Interpretum examen, ſententiam lyricorum in Græcia poetarum principe indignam præſeferre videatur, non eum continuo de principatus poſſeſſione dejicio, multoque minus ullum ex hodiernis poetis lyricis æquiparare illi audeo: ſed illud ſtatim pro certo habeo, locum aut corruptum a librariis fuiſſe, aut perperam ab Interpretibus explicari: tanta enim me quæcumque probe in Pindaro intelligo, admiratione afficiunt ac voluptate, ut in animum inducere nequeam, abſona ab eo ſcri-

bi

bi potuisse, qui adeo sit in reliquis admirabilis. Jam vero de locis, quos vitiatos esse conjicio, alias dicendum erit: ex iis autem locis, quorum germanam sententiam assecuti non videntur Interpretes, tres potissimum afferam in præsentia.

Primus extat in prima Nemeorum Oda. Maximam ejus Cantici partem canendis Herculis sui laudibus impendit Poeta; extrema vero in Oda Tiresiæ de ipso recens nato vaticinationes refert, ut Theocritus etiam Idyllio xxiv. facit: prænunciasse videlicet Tiresiam ait Pindarus, primo, quot olim, & quantos exantlaturus esset labores Hercules; deinde iis omnibus exantlatis fore, ut præmium tandem amplissimum reportaret perpetuam tranquillitatem. Tum canticum ita concludit: 109 *ὀλβίοις ἐν δώμασι δεξάμενον* 110 *θαλερὰν Ἥβαν ἄκοιτιν* 111 *καὶ γάμον δαίσαντα πὰρ Δὶ Κρονίδᾳ*, 112 *σεμνὸν αἰνήσειν δόμον*. Quatuor porro hosce versiculos ita cuncti exponunt Interpretes, ut hujusmodi sit verborum syntaxis atque sententia: Prænunciavit præterea Tiresias, *fore, ut beatis in domibus Heben duceret uxorem, & nuptiis apud Jovem celebratis augustam domum laudaret*. Sed languida mihi, ut verum fatear, hæc videntur, ac parum dignitati, & sublimitati totius Odæ respondentia. Quod enim nuptias apud Jovem celebraturus dicatur Hercules, valde id quidem ipsi honorificum esse video; sed quam honorificum eidem sit, quod *augustam domum laudaturus* prænuncietur, vix intelligo, quidquid *domus augustæ* vocabulo designetur.

Attamen locum ita ab Interpretibus acceptum fuisse patet, quamvis *laudandi* verbo, quod habet Pindarus, nobilius aliud verbum subrogare studuerint. Nam Scholiastes quidem sic exponit: *οὗ τινος Διὸς καὶ θαυμάσει τὴν σύνοδον*, i. e. *cujus* [Jovis] *conventum admirabitur*. Henricus vero Stephanus, ac Joannes Benedictus vertunt: *augustam laudaturum domum*. Sudorius denique totum locum sublimiorem reddere nititur in hunc modum:

Tum memorat (Tiresias) *quæ sit rerum miracula cœlo*
Visurus novus ætheris hospes:
Utque sit in sedes illi ducenda beatas
Inque thorum formosa Iuventa,
Postquam hilaris sponsus Iovis intra tecta recumbens
Se dapibus sat erit Olympi.

Quæ in paraphrasi quidem optima sunt, sed poetæ mentem fideliter non exprimunt: nihil enim Pindarus de rerum miraculis in cœlo ab Hercule videndis dicit.

Nova quidem Pauwius excogitavit, sed alia prorsus, ac ego, ratione ductus. „ *Illud* σεμνὸν δόμον [*augustam domum*] *flaccescit* (inquit) *post* ὀλβίοις ἐν δώμασι [*beatis in domibus*].„ Suspicatur itaque pro δόμον (i. e. *domum*) legendum esse νόμον, i. e. *legem*. „ *Ut* augustam legem *intelligamus* (inquit) *fatorum leges*, & *æterna illa decreta*, *ad quorum normam omnia fiunt*, *ipseque Hercules post labores arduos immortalitatem fuerat nactus*. Σεμνὸν νόμον, κατ' ἐξοχὴν: *Hoc Pindaricum hercule*, & *a scribis non intellectum*, *ideoque corruptum*. Ita quidem ille: sed parum, ut mihi videtur, probabiliter.

Nam primo vaga nimis, atque obscura foret locutio, si *augustæ legis* nomine æterna fatorum decreta denotare Pindarus voluisset: neque vero quidquid obscurum est, Pindaricum continuo dici debet. Deinde omnes ad unum vetusti codices habent δόμον, nullus νόμον. At lectio, quæ codicum omnium communis sit, mutari neutiquam potest, nisi cogat necessitas: quæ profecto hic nulla est: nam ratio qua ducitur Pauwius, infirma valde est, si quid judico. Nec enim *beatæ domus*, de quibus versu 109. poeta loquitur, eædem sunt cum *augusta domo*, de qua postremo versiculo. Illæ sunt ὀλύμπια δώματα ab Homero, ac Hesiodo sæpius commemorata, hæc vero est non δῶμα, sed δόμος. Illæ domicilium Jovis sunt, tecta Jovis, aula Jovis, Olympus: hæc Deorum apud Jovem convocatorum conventus est, sive Olympi incolæ: sæpissime enim δόμος apud Pindarum, Æschylum, aliosque poetas domus incolas significat.

Quæ cum ita sint, allatum locum nec mendosum duco, & aliter ac Interpretes fecerint, accipiendum esse conjicio: ita nempe ut non Hercules augustam domum, sed augusta domus (Deorum videlicet ad ejus nuptias vocatorum conventus) Herculem ipsum illas apud Jovem celebrantem laudatura sit, ac Musæ potissimum Jovis filiæ, atque Apollo illarum frater. Nam eadem plane ratione in Thetidis nuptiis, ac Pelei Musarum chorus Apolline duce Thetidis ipsius laudes cecinit ac Pelei, ut est in quinta Nemeorum Oda: idque in Cadmi etiam nuptiis ac Harmoniæ contigisse dicitur tertio Pyth. cantico. Quod si ita locus accipiatur, ut commode accipi potest, sententia multo & concinnior est, & Herculi honorificentior.

Alter locus extat in decima Olympiorum Oda. Hymnum in victoriam ab Agesidamo hospite suo Olympiæ relatam jamdiu

H pol-

pollicitus fuerat poeta: ſed oblivione captus debitum necdum ſolverat. Muſam itaque, ac Veritatem invocat initio Odæ, & quaſi teſtes appellat, ſe oblivionis, non mendacii reum, neque ingratum eſſe: quicumque vero objurgare ipſum voluerit, illius obſtruere ora ſe poſſe adjicit, fœnus debiti reddendo, ac pro uno quem promiſerat, duos ſcribendo hymnos, decimum hunc, atque undecimum, qui propterea τόκος, i. e. *fœnus* inſcribitur. Tum hæc ſubjicit Pindarus: 13 Νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν 14 ὅπα κῦμα κατα- 15 κλύσσει ῥέον; ὅπα τε κοινὸν λόγον 16 φίλαν τίσομεν ἐς χάριν; Quæ ſic vertit latinus metaphraſtes: *Nunc calculum volutatum quo pacto unda obruet fluens? quoque pacto publici juris hymnum amicam perſolvemus ad gratiam?* Jam vero verſiculos 13, & 14 in hanc fere ſententiam omnes exponunt Interpretes: *Nunc quomodo me ipſe defendam atque purgabo?* Pauwius ipſe ad vocem *calculum* hæc ſcribit: *Calculum contra me latum propter moram.* At proxime ſuperius jam declaravit poeta, quomodo poſſit hominum reprehenſionem effugere, ac neglecti promiſſi crimen eluere. Qui ergo fit, ut ſtatim poſtea ſic ſe ipſe alloquatur: *Nunc quomodo accuſationem hanc diluam?* Cur is nihil poſtmodum huic interrogationi reſpondet? Demum ſi in hunc modum ea verba accipimus, quomodo cum his ea cohæreant, quæ in Epodo ſubjicit Pindarus, nullo equidem modo videre poſſum: quin totidem pæne ibi ænigmata mihi eſſe videntur, quot ſententiæ.

His de cauſis aliam propono interpretationem, quæ & allatis verbis, & proxime ſuperioribus maxime congruat, ea vero quæ ſequuntur omnia perſpicua reddat, cum ſuperioribus connexa, & apta, atque ad intelligendum facillima. Nimirum non de calculo contra ſe lato loquitur Pindarus mea opinione, ſed de calculo adverſus Ageſidamum victorem lato: quodque paulo obſcurius verſiculis 13, & 14 dixit, id clarius ſtatim [quod inſolitum Pindaro non eſt] explicat verſiculo decimoquinto. Ageſidamus porro victoriam quidem retulerat, ſed non cunctis judicum, quos Hellanodicas vocabant, ac ſpectatorum ſuffragiis: quia & in certamine languidus initio fuerat, & niſi ab Ila adjutus fuiſſet, eam non reportaſſet. Hæc vulgo de Ageſidamo dictitabantur. Hic eſt κοινὸς ille λόγος [i. e. *communis ſermo*] quem mox commemorat poeta. Volunt quidem Interpretes, *communem ſermonem* ab ipſo dici hymnum ſuum: at quam aliena, quam longe ducta hujuſmodi explicatio eſt! quonam alio in loco hymnos ſuos hac, aut

aut affini formula designat? nonne in septima e contrario Olympiorum Oda id perspicue denotat eadem locutione *quod publice fama prædicat*, cum scribit: ξυνὸν λόγον ἀγγέλλων, i. e. verbum e verbo, *communem sermonem annuncians?* Simili ergo ratione hoc etiam in loco *communis sermonis* nomine nihil venit aliud nisi id quod publica de Agesidamo fama prædicabat, quodque Oda hacce Pindarus, amico gratificari volens (id enim valent verba, φίλαν ἐς χάριν) celebrare cogebatur. His positis, clare statim intelligimus, quo spectet Pindarus cum hæc subjicit: primo Agesidami patriam (ubi hymnus fortasse canendus erat) veritatis amantem esse, ejus vero cives liberalibus studiis eruditos, ac bellicosos: secundo vel ipsum Herculem cum adversus Cycnum pugnaret, fugatum initio ab hoc fuisse, quem postea tamen interfecit: tertio Patroclum quoque ab Achille, ut Agesidamum ab Ila, adjutum esse: ac cetera quæ sequuntur usque ad versum 27.

Tertius locus extat Oda Olympiorum quarta in Psaumidem victorem scripta. Ibi Jovem sic precatur poeta: 13 ὀλυμπιονίκαν 14 δέκευ χαρίτων ἕκα. 15 τι τόνδε κῶμον, 17 χρονιώτατον φάος εὐρυ- 18 σθενέων ἀρετᾶν. 19 Ψαύμιδος γὰρ ἥκει 19 ὀχέων· ὃς ἐλαίᾳ στεφανωθεὶς.... Quæ sic transfert latinus metaphrastes: *Olympicam victoriam celebrantem suscipe, Gratiarum caussa, huncce chorealem hymnum, diuturnissimum lumen præpotentium virtutum. Psaumidis enim venit in curribus: qui olea coronatus* &c. Lege, quæso, cum veteres Scholiastas, tum recentiorem, tum etiam Joannem Benedictum, Pauwium, alios: ut videas quomodo locum illustrare studeant, ac eum, ut ita loquar, torqueant plerique ac vexent. Vetus Scholiastes epithetum εὐρυσθενέων ad nomen χαρίτων refert, & ἥκει ὀχέων positum vult pro ἥκει ἐπὶ τῶν ὀχέων, ut sensus sit: *Venit enim in curribus Psaumidis hymnus* (hicce) *olea coronatus*. At hymnum nusquam commemorat poeta, sed κῶμον, i. e. chorum, turbam nempe hominum exultantium, ac Psaumidis victoriam ad lyram, ad tibiam, aliisve modis celebrantium, & coronas forsitan afferentium, ut ex Oda 8. Olymp. v. 13. conjicio. Recentior Scholiastes vocem ὀχέων accipit pro ὀχέων ἕνεκα, i. e. *curruum caussa*. Benedictus sic interpretatur: *Etenim hic hymnus curru Psaumidis vehitur, scilicet ejus laudes canit*. Quam probabilia hæc sint, tute ipse videris lector. Ego illa nec improbans, nec amplectens aliam pro-

 pono

pono explicationem. Locum scilicet mutatis duntaxat interpunctis facilem ac perspicuum reddi puto, si eum ita construamus: δέκευ τόνδε κῶμον· ἥκει γὰρ ὀχέων χρονιώτατον φάος εὐρυσθενέων ἀρετᾶν Ψαύμιδος, h. e. *Benigne excipe hunc chorum: venit enim ferens lumen diutissime duraturum fortissimarum virtutum Psaumidis*. Quæ elegantem habent translationem ab iis ductam, qui facem deferunt lumen quaquaversum diffundentem: qua ratione Lucretius quoque libro tertio ait: *E tenebris tantis tam clarum* extollere lumen *Qui primus potuisti*, illustrans *commoda vitæ*. Pindarus autem verbum ὀχέω, seu, quod idem est, ὀκχέω significatione parum dissimili adhibet II. Pyth. 144, & II. Ol. 122, cum ait: ὀκχέοντι πόνον, i. e. *dolorem ferunt*. Chorus ergo Camarinam, quæ victoris patria erat, veniens facem illuc vehebat quæ urbem illam diutissime illustratura foret, nuncium scilicet de victoria Olympiæ a cive reportata.

Nunc imponendus jam finis huic Coniecturarum mearum specimini foret: sed auctarii loco animadversionem quamdam meam lectori offerre placet, quæ latissime patet, utpote qua non unus Pindari locus, sed plurimi clariores fiant. Animadverti ergo Pindarum nobili quadam ac poetica libertate utentem articulos præpositivos sæpe ibi etiam omittere, ubi ea omissio minus claram reddit sententiam. Exemplis, quid velim, melius explicabo. I. Od. x. Olymp. vers. 84 legimus: ἀπὸ Μαντινέας Σᾶμος ἀείδετο: & in metaphrasi: *E Mantinea Semus celebrabatur*. Ego illud ἀπὸ Μαντινέας adjective sumo, ut positum sit pro ὁ ἀπὸ Μαντινέας, & valeat, *Mantineensis*. II. Od. XIII. Ol. v. 71 legimus: γαρύων ..... πόλεμον ἐν ἡρωΐαις ἀρεταῖσιν: & in metaphrasi: *laudans bellum in virtutibus heroicis*. Quis hanc intelligit interpretationem? Equidem illud ἐν ἡρωΐαις ἀρεταῖσιν adiective positum reor pro τὸν ἐν ἡρ. ἀρετ. ut bellum designetur, *in quo heroicæ virtutes conspicuæ fuerunt* III. Od III. Isthm. v. 26: ἴστε κλεωνύμου δόξαν ἅρμασι. Hic ἅρμασι positum pro τὴν ἅρμασι, i. e. *quam curribus certans acquisivit*. IV. Od. V. Isthm. v. 67: ἐν δ' ἐρατεινῷ μέλιτι καὶ τοιαῖδε τιμὰ καλλίνικον χάρμ' ἀγαπάζοντι: & in metaphrasi: *In delectabili autem melle etiam hujusmodi honores ex hymno victoriali gaudium amans*. Quis latina hic græcis obscuriora esse neget? Ego illud ἐν ἐρατεινῷ μέλιτι adiectivum esse censeo iungendum aut cum

τιμαὶ

τιμαὶ (*honores*), ut positum sit pro αἱ ἐν ἐρ. μελ. h. e. *dulces ut suavissimum mel*; aut cum χάρμα, ut positum sit pro τὸ ἐν ἐρ. μέλιτι. V. Od. IX. Ol. v. 22: ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ' ἐλελίζων κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος: & in metaphrasi: *Viri ob luctas citharam movens clara ex Opunte*. Ego illud κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος iungo cum ἀνδρὸς, & adiective sumo pro τοῦ κλεινᾶς ἐξ Ὀπ. ut significet, *Opuntii*, sive, *in illustri Opunte nati*. VI. Od. VII. Ol. v. 171: Μὴ κρύπτε κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος: & in metaphrasi: *Ne occultes commune semen a Calliancte*. Illud ἀπὸ Καλλιάνακτος adiectivum esse patet pro τὸ ἀπὸ Καλλ. ut valeat: *derivatum e Callianacte*. VII. Od. VIII. Ol. v. 109: κόσμον Ὀλυμπίᾳ. Illud Ὀλυμπίᾳ epithetum est pro τὸν Ὀλυμπίᾳ, i. e. *Olympiæ acquisitum*: si librorum sequamur lectionem. Sed equidem locum sic legere malim: κόσμον, Ὀλυμπίᾳ ὃν σφιν ὤπασεν Ζεὺς γένει, i. e. *Ornamentum, quod in Olympia præbuit Jupiter eorum generi*. VIII. Od. I. Ol. v. 11: μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν. Hic Ὀλυμπίας positum pro τοῦ τῆς Ὀλυμπίας. IX. Od. VIII. Nem. v. 7: Καιροῦ μὴ πλαναθέντα πρὸς ἔργον ἕκαστον: & in metaphrasi: *ab opportunitate non aberrantem ad opus quodlibet*. Suspicor, πρὸς ἔργον ἕκαστον adiective poni pro τοῦ πρὸς ἔργ. ἕκαστον. X. Od. III. Ol. v. 66: ἐπέτραπεν θεητὸν ἀγῶνα νέμειν ἀνδρῶν ἀρετᾶς πέρι: & in metaphrasi: *Mandavit* [eis Hercules] *celebre certamen administrare, virorum de virtute*. Hic περὶ ἀνδρῶν ἀρετᾶς adiectivum est, ac iungendum cum ἀγῶνα sic: τὸν περὶ ἀνδρῶν ἀρετᾶς. Alia huiusmodi plura afferri possent exempla: sed hæc satis sint: nam & tute ipse premissis abunde iam satisfecisse me vides, Jacobe carissime, & ego ob acerbissimum, qui mihi nunc Viterbio allatus est, nuncium novis oppressus curis alio avocor.

LAUS DEO.

MONITUM.

Quæ ad calcem paginæ 29. addita sunt, ea utpote inducta omittenda erant: quoniam vero illa typographus non omisit, scias, lector, ibi pro prosodiacus, *&* prosodiacum *legendum esse* periodicus, *&* periodicum. *Pagina etiam* 48. *lin.* 20. *eodem modo irrepserunt voces:* aut certe invenire me memini, *itaque & ipsæ inducendæ sunt. Demum eadem pag.* 48. *lin.* 26. *pro* iambicum *lege* iambum.

Vidit D. Aurelius Castanea Clericus Regularis S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino D. Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 24. *Octobris* 1772.

IMPRIMATUR.

Fr. Carolus Dominicus Bandiera Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.

Oda Olymp. decimaquarta cum Notis muſicis.

1 Κα φι σίων ὑ δά των λα χοῖ-

2 σαι, αἵ τε ναί ε τε καλ λί πω λον ἕ δραν

3 ὦ λι πα ρᾶς ἀ οἱ δι μοι βα σί λει αι

4 χά ρι τες Ὀ'ρ χο με νῦ

5 πα λαι γό νων Μι νυ ᾶν ἐ πί σκο ποι

6 κλῦτ' ἐπ εἰ εὔ χο μαι.

7 Σὺν γὰρ ὑ μῖν τά γε τερ πνὰ καὶ τὰ γλυ-

8 κέ α γί νε ται πάν τα βρο τοῖς·

9 εἰ σο φὸς, εἰ κα λὸς, εἰ τις ἀ γλα ος

ἀνήρ.

10 ἀ νὴρ. ἔ τε γὰρ θε οἱ

11 σε μνᾶν χα ρί των ἄ τερ

12 κοι ρα νέ ον τι χο ρὲς

13 ἔ τε δαῖ τας· ἀλ λὰ πάν των

14 τα μί αι ἔρ γων ἐν ἐ ρα νῷ

15 χρυ σό το ξον θέ με ναι πα ρὰ

16 τὸν πύ θι ον Ἀ πόλ λω να θρό νες

17 Ἀ έ να ον σέ βον τι πα τρὸς

18 Ὀ λυμ πί αι ο τι μάν.

FRAN-

FRANCISCI PETRARCHÆ
EPISTOLA
AD FRATREM,

e vetuſto Codice nunc primum edita, ad lucem aliquam iis afferendam, quæ ſuperius diximus Capite primo.

Ex Libro decimo Epistolarum Francisci Petrarchæ Epistola IV. ad Gerardum, Monachum Cartusianum, germanum ipsius fratrem.

SI fervorem animi tui novi, jam hinc annexum huic epistolæ Carmen horrueris quasi professioni tuæ dissonum, adversumque proposito. Noli aliquid temere definire: quid enim stultius, quam judicare de incognitis? Theologiæ quidem minime adversa Poetica est. Miraris? ... Christum modo leonem, modo agnum, modo vermem dici, quid, nisi poeticum est? Mille talia in Scripturis sacris invenies, quæ persequi longum est. Quid vero aliud parabolæ Salvatoris in Euangelio sonant, nisi sermonem a sensibus alienum, sive, ut uno verbo exprimam, alieniloquium? quam analogiam (a) usitatiori vocabulo nuncupamus. Atqui ex hujusce sermonis serie, Poetica omnis intexta est. Sed subjectum aliud. Quis negat? Illic de Deo, deque divinis: hic de diis hominibusque tractatur. Unde apud Aristotelem primos theologizantes, poetas legimus. Quæ ita esse, ipsum nomen indicio est. Quæsitum est enim, unde poetæ nomen descendat: & quamquam varia ferantur, illa tamen sententia clarior est; quia cum olim rudes homines, sed noscendi veri, præcipueque vestigandæ divinitatis studio, quod naturaliter inest homini, flagrantes cogitare cœpissent esse superiorem aliquam potestatem, per quam mortalia regerentur, dignum rati sunt illam omni plus quam humano obsequio, & cultu augustiore venerari. Itaque & ædes amplissimas meditati sunt, quæ templa dixerunt, & ministros sacros, quos sacerdotes dici placuit, & magnificas statuas, & vasa aurea, & marmoreas mensas, & purpureos amictus: ac ne mutus honos fieret, visum est in verbis altisonis divinitatem placare, & procul ab omni plebeio, ac publico loquendi stylo sacras Superis inferre blanditias, numeris insuper adhibitis, quibus & amœnitas inesset, & tædia pellerentur. Id sane non vulgari forma, sed artificiosa quadam & exquisita ac nova fieri oportuit: quæ quoniam græco sermone poetes (b) dicta est, eos quoque qui hac utebantur, poetas dixerunt. Quis nam, inquies, horum est auctor? Poteras, frater, absque fidejussoribus fidei meæ stare: merui forte, ut vera, & veri frontem habentia referenti sine testibus crederetur. Sed & si cautius

I 2 agere

(a) Num Petrarcham scripsisse suspicabimur, *allegoriam*? Hæc sane vox voci *alieniloquium* adamussim respondet, non vero *analogia* vocabulum.

(b) Emendanda sine dubio est vox *poetes*, sive eam Petrarcha, seu potius librarius perperam scripserit. Scribendum autem *poesis*, aut *poetes*, ut patet ex his verbis ab Isidoro Hispalensi citatis capite 7. libri VIII. Originum: *Id genus quia forma quadam efficitur, quæ* ποιότης (an legendum, ποίησις?) *dicitur, poema vocitatum est, ejusque fictores, poetæ.*

agere mens est, M. Varro doctissimus Romanorum; proximus Tranquillus rerum curiosissimus indagator: Tertium non adderem, nisi quia is, uti reor, familiarior est tibi: Horum igitur & Isidorus, breviter licet, & ipso teste Tranquillo, meminit Etymologiarum libro octavo. Sed occurres, &, possum (dices) sancto saltem Doctori credere: tamen rigori meo carminis tui dulcedo non convenit. Noli hoc, frater, opinari. Et veteris Testamenti patres heroico, atque aliis carminum generibus usi sunt, Moyses, Job, David, Salomon, Jeremias. Psalterium ipsum Davidicum, quod diu noctuque cantas, apud hebræos metro consistit, ut non immerito neque ineleganter hunc Christianorum poetam nuncupare ausim: quippe quod & res ipsa suggerit, &, si nihil hodie mihi sine teste crediturus es, idem video sensisse Hieronymum: quamvis sacrum illud poema, quod beatum virum (a), *scilicet Christum canit nascentem, morientem, descendentem ad inferos, resurgentem, ascendentem, reversurum, in aliam linguam simul sententia numerisque servatis transire nequiverit. Itaque sententiæ inservitum est: & tamen adhuc nescio quid metricæ legis inest: & psalmorum particulas, ut sunt, sic versus vulgo dicimus. Et de antiquis hactenus. Novi autem Testamenti duces, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum carminibus, ac rhythmis usos ostendere non operosus labor est: ut Prudentium, Prosperum, atque Sedulium, & ceteros prætermittam: quorum soluta oratione nihil omnino, metrica vero passim cernuntur opuscula. Noli itaque, frater, horrere quod Christo amicissimis, ac sanctissimis viris placuisse cognoscis. Sensibus intende: qui si veri, salubresque sunt, quolibet stylo illos amplectere. Laudare dapem fictilibus appositam; eamdem in auro fastidire, aut dementis, aut hypocritæ est. Avari est, aurum sitire: non posse pati, pusilli animi est. Non fit auro melior cibus: certe nec deterior. Profecto autem sicut aurum, sic carmen in suo genere nobilius. Non nego: quanto scilicet rectiora sunt quæ ad regulam fiunt, quam quæ temere: non quod animo carmen expetendum censeam: ne spernendum quidem. Hæc pro styli excusatione præmissa sint. Nunc ad propositum sermo vertendus est. Tertia retro æstas me tunc in Galliis agentem ad fontem Sorgiæ compulerat, quam sedem vitæ nostræ quondam delegimus, ut nosti. Sed tibi divino munere sedes tutior, tranquilliorque probabitur: mihi ne illa uti quidem licuit, raptante me altius fortuna, quam sat est. Illic ergo tunc eram eo animo, qui sicut sub tanta rerum mole magnum aliquid aggredi non auderet, sic omnino nihil agere nesciret, ab infantia mea bono utinam, sed certe in actu perpetuo enutritus. Media via igitur electa est, ut majoribus dilatis aliquid pro solatio illius temporis meditarer. Ipse autem loci habitus, & recessus nemorum, quo me sæpe curis gravidum lux oriens urgebat, & unde sola nox rediens pellebat, ut silvestre aliquid canerem, suasere. Quod ergo pridem in animo habueram, buco-*

(a) Respicit, opinor, prima Psalterii verba: *Beatus vir, qui non abiit* &c.

bucolicum carmen, xii. eclogis distinctum scribere orsus, incredibile est, quam paucis diebus absolverim: tantum ingenio locus calcar addiderat. Ceterum quia nihil prius in animo erat, Eclogarum prima (a) *de nobis ambobus scripta est: ideoque potissimum ut tibi mitterentur, obtinuit. Nescio quidem an pro solatio, an pro impedimento solatii tui dicam. Sed quoniam id genus est, quod nisi ex ipso, qui condidit, auditum intelligi non possit; ne te inutiliter fatiges, primo quid dicam, deinde quid intendam, brevibus explicabo. Duo pastores inducuntur: pastoris enim est stylus: ideo pastoribus datur. Nomina pastorum, Silvius, ac Monicus. Silvius ergo Monicum solum, & invidioso ocio felicem videns sub antro quodam quiescentem alloquitur, quasi fortunam illius admirans, & suam deflens: quod ille grege, ac rure posthabito requiem invenit: ipse vero asperos colles multo cum labore circumeat. Quo ergo magis miratur, tantam esse diversitatem fortunæ: quoniam, ut dicit, una eademque fuit amborum mater: ut detur intelligi, germanos esse pastores. Monicus ad hæc totam fraterni laboris culpam in eumdem retorquet: nulla vi coactum dicens sponte sua errare per devia silvarum, montiumque cacumina. Cui respondet Silvius, errorum causam esse amorem, & amorem Musæ, non alium. Quod ut pateat, longiusculam incipit fabellam: duorum videlicet pastorum prædulciter canentium: quorum alterum in pueritia audisse se memorat: alterum postea: eorumque se captum illecebris, cetera omnia negligere: quos dum per montes avidissime sequitur, jam canere didicisse: ita ut laudetur ab aliis, licet ipse sibi nondum placeat: itaque propositum sibi esse ad summum niti, & vel pervenire, vel inter nitendum mori. Contra Monicus ut antrum suum Silvius ingrediatur, suadere incipit, dulciorem ibi cantum auditurus: mox cœptum sermonem inexpletum linquit, quasi signa turbati animi in ore Silvii agnoscens. Ille autem se excusat: itaque Monicus orationem peragit: qua audita mirabundus Silvius percontatur, quis ille pastor tam dulciter canens, cujus nunc mentionem noviter audit. Ad quod Monicus quasi pastoria ruditate non nomen reddit, sed describit patriam, & more ruralium sæpe in verbis errantium, duorum fluminum mentionem facit, uno fonte nascentium: ac statim velut errore recognito verba pervertit: & quod de duobus inceperat, de uno flumine duobus ex fontibus descendente prosequitur. Utrumque sane in Asia est. Silvius autem se flumen nosse commemorat, signum afferens, quod in eo quidam puer hispidus lavit Apollinem. Inde refert Monicus oriundum esse cantorem: quod audiens Silvius, mox hominem recognoscit: & vocem, modumque canendi deprimit attollens suos. Ex adverso Monicus suum meritis laudibus accumulat. Itaque tandem Silvius adquiescens, se in tempore rediturum, & quam dulciter ille canat, probaturum ait: nunc autem festinare. Quod admirans Monicus, festinationis causam quærit: & audit Sil-*

(a) Extat in Edit. Ven. anni 1501. Latin. Oper. Petrarchæ quintern. xx.

Silvium intentum cantilenæ, quam de quodam egregio juvene, cujus acta multa brevitate perstringit, componere cœpit, non posse nunc aliis vacare. Quamobrem Monicus colloquium hoc concludit, vale dicens Silvio: & in fine hortatur, ut dilationis pericula casusque consideret. Hæc summa rerum. Intentionis autem meæ sensus hic est. Pastores colloquentes, nos sumus: ego Silvius, tu Monicus. Nominum ratio hæc est: primi quidem, tum quia in silvis res acta est, tum propter insitum ab ineunte ætate urbis odium, amoremque silvarum: propter quem multi ex nostris in omni sermone sæpius me Silvanum, quam Franciscum vocant. Secundi autem, quia unum ex Cyclopibus Monicum dicunt quasi monoculum. Id quodam respectu prope tibi convenire visum est, qui e duobus oculis, quibus omnes communiter utimur mortales, quorum altero scilicet cælestia, altero terrena respicimus, tu terrena cernentem abjecisti, oculo meliore contentus. Antrum ubi solitarie degit Monicus, Monasterium est, ubi tu nunc monasticam vitam agis inter speluncas & nemora: vel ipsum antrum, in quo Maria Magdalene pœnitentiam egit, quod monasterio tuo vicinum est. Ubi enim de hoc sancto proposito multa mecum prius agitaveras, Deo cor lubricum sublevante firmatus es. Rus, ac gregem, quorum sprevisse curam dicitur, pro civitate & hominibus intellige, quos in solitudinem fugiens reliquisti. Unam fuisse genitricem amborum, quin utrumque insuper parentem, non allegoria, sed veritas nuda est. Pro sepulcro (a), ultima sedes intelligitur: te enim cælum; me, nisi misericordia subvenerit, tartarus manet. Vel simpliciter quod verbum sonat, intelligi potest: tibi enim jam certa sedes, eoque certior spes sepulchri: mihi autem adhuc vagus error, & incerta omnia. Inaccessum cacumen, ad quod multo sudore Silvium anhelare Monicus exprobrando objicit, famæ rarioris, & ad quam pauci perveniunt, altitudo est. Deserta, quibus vagari Silvius dicitur, sunt studia hæc vere deserta hodie, vel lucri cupidine derelicta, vel ingeniorum despecta segnitie. Muscosi (b) scopuli, sunt potentes, ac divites, patrimonio velut musco obsiti. Fontes sonantes, litterati eloquentes homines dici possunt: quorum ex ingenii scatebris disciplinarum rivuli prodeunt cum sonitu quodam delectabili. Quod per Palem jurat Silvius, pastorale juramentum est; Pales enim est pastorum Dea. Posset apud nos intelligi Maria (c) non Dea, sed Dei mater. Parthenias ipse est Virgilius, non a me modo fictum nomen: in vita enim ejus legimus, quod Parthenias quasi omni vita probatus dici meruit. Quod ut per se ipsum lector intelligeret, locus est additus: ubi videlicet lacus cisalpinæ Galliæ Benacus (d) valde sibi simi-

(a) *Una fuit genitrix, at spes non una sepulchri*, inquit ibi Petrarcha sub nomine Silvii latens. (b) *Muscososque situ scopulos, fontesque sonantes.*

(c) Sacra profanis miscenda non sunt, Francisce: qui fieri potest ut non videris, quam indecens sit, Sanctissimam Virginem Mariam vano ridiculæ Deæ vocabulo designare? (d) Codex habet *Venacus*.

ſimilem filium ex ſe gignit : filius autem hic Mincius eſt Mantuæ flumen, quæ Virgilii patria eſt. Ceterum aliunde advectus paſtor *nobilis Homerum ſignificat ; in quo ſingula fere verba aliquid important : nam & hoc eſt deinde non ſine myſterio dictum, quia Virgilium puer, & non jam infans ; deinde autem ætate provectior Homerum attigi. Is enim, qui Homerus vulgo dicitur, alterius neſcio cujus Scholaſtici opuſculum ſcias, licet ab Homerica Iliade ſit breviloquio decerptum.* Peregrinis *autem* ab oris, *quaſi nec Italicus, nec omnino linguæ particeps latinæ. Unde* nec noſtro murmure *canere eum dixi, ut qui græce canat.* Generoſi *ſane paſtoris epithetum jure occupat : quid enim vel lingua, vel ingenio generoſius Homeri ?* Neſcio *autem* qua de valle, *ideo eſt additum, quia de loco originis ejus opiniones variæ ſunt, quas locus iſte non capit. Poſtremo* de fonte *Homerico* bibere *Virgilium, omnibus eſt notum, qui in poeticis exercentur.* Amica, *qua uterque dignus dicitur, fama eſt : propter quam poetæ, ſicut propter amicas ſuas amatores, canunt. Silva horrida, & aerii montes, quos miratur Silvius non ſequi dulcedinem canentium, vulgus incultum eſt, & Principes eminentes. Deſcenſus e montis vertice ad imas valles, & ab imis vallibus aſcenſus in montes, quem de ſe ipſo loquens Silvius refert, eſt ab altitudine theoricæ ad practicæ exercitium, & converſo pro varietate affectuum alterna digreſſio. Fons, qui canenti plaudit, eſt ſtudioſorum chorus. Arentes cautes, idiotæ : in quibus quaſi echo in cautibus unde vocis eſt uſus, & conſonans ſine diſcretione reſponſio. Nymphæ deæ fontium, ſunt divina ſtudioſorum hominum ingenia. Limen, intra quod Silvium Monicus invitat, Cartuſienſium ordo eſt, quem nemo certe deceptus, ut multos ex aliis ordinibus, nemo intrat invitus. Paſtor* (*a*)*, cujus cantum Monicus præfert Homero, Virgilioque, eſt ipſe David : cui proprie convenit verbum* pſallere *propter pſalmos, ſuum opus.* Media *autem* nocte, *propter matutinam pſalmodiam, quæ illo præſertim tempore in Eccleſiis veſtris auditur. Fluvii duo uno de fonte, quorum primo quidem Monicus errore decipitur, ſunt Tigris, & Euphrates, noti amnes Armeniæ. Fluvius autem unus gemino de fonte, Jordanis eſt Judææ : quod multi ſunt auctores, inter quos Hieronymus illarum partium ſedulus diuturnus incola ....* Nomina *fontium, Jor, & Dan : e quibus Jordanis ut flumen, ſic ipſum nomen efficitur : qui quidem in mare Sodomorum fertur deſcendere, ubi cinereos campos propter incendia civitatum eſſe narratur. In hoc amne Chriſtus a Joanne baptiſmum* (*b*) *memoratur :* puer ille *enim* hiſpidus (*c*)*, eſt Johannes Baptiſta, puer, inquam, virgo, purus, innocens, hiſpidus, incultus, hirto tegmine, impexo capillo, facie ſolidus aduſta. Apollo autem*

(*a*) *Dulcius hic quanto media ſub nocte videbis Pſallere paſtorem : reliquorum oblivia ſenſim Ingeret ille tibi :* ait Monicus ibidem. (*b*) Excidit vox, *accepiſſe*, aut quid ſimile. (*c*) *Audivi ut quondam puer hiſpidus ille nitentia Lavit apollineos ad ripam gurgitis artus :* ait Silvius ibidem.

tem filius Jovis dicitur ingenii Deus, per quem (a) Jesum Christum accipio, verum Deum, verum Dei filium: Deum, inquam, ingenii ac sapientiæ: quoniam, ut apud Theologos notum est, inter attributa Personarum summæ & individuæ Trinitatis, sapientia Filio tribuitur, & ipse Sapientia corporalis est. Vox autem rauca David, & lacrymarum assiduitas, & repetitum sæpe nomen Jerosolymæ objicitur: ob asperum prima facie, & flebilem stylum, & quia revera in psalmis crebra illius urbis vel historica, vel allegorica mentio est: hoc autem loco summatim inferitur, de quibus poetæ, quos Silvius præferre nititur, canant: quod exponere longum est: sed in eo studio provectis omnia clara, & aperta sunt. Monicus contradicit excusans Davidicam raucitatem, & pari breviloquio percurrens, de quibus apud illum agitur. Juvenis, de quo cantilenam texere Silvius cœpit, Africanus Scipio est: qui in littore Afro Polyphemum *(b)* stravit, *hoc est, Hannibalem Pœnorum ducem: sicut enim Polyphemus, sic & Hannibal monoculus fuit post oculum in Italia amissum.* Libyci leones, *quibus abunde Africa constat, reliqua Carthaginensium spes fuerat: e quibus quidem quingentos sub oculis eorum combussisse illum Romana narrat .... Et hic quidem juvenis* sidereus *dicitur (c) sive propter heroicam virtutem, qua maxime viguit, quæ ardens in Virgilio, a Lucano ignea virtus dicitur: sive propter opinionem cælestis originis, quæ, admiratione viri illius, tunc apud Romanos erat. Hunc Itali laudant (d) de littore adverso: est enim Africano littori adversum littus Italicum, non animorum modo discordia, sed terrarum situ: directe autem opponitur Roma Carthagini. Sed de hoc tam laudato juvene nemo canit: quod ideo dictum est, quoniam etsi omnis historia laudibus, & rebus ejus plena sit; & Ennium de eo multa scripsisse non sit dubium rudi & impolito, ut Valerius ait, stylo..... tamen de illius rebus liber metricus non apparet. De hoc igitur utcunque canere institui: quia scilicet de eo liber meus est, qui inscribitur* Africa: *utinam tam felici animo claudendus seni, quam magno animo cœptus est juveni. Quantum sane periculum semper fuit dilatione consilii salutaris, & quam varii atque inopinabiles præsentis vitæ casus, quos circumspicere suprema Monici jubet allocutio, ne dici quidem expedit. Reliqua cogitatione percipies. Vale. Patavi* IIII. *Nonas Decembris, ad vesperam.*

Explicit Epistola Francisci Petrarchæ ad Fratrem.

(a) Sacra profanis rursum misces, Francisce: num Pauli illud oblitus es: *Quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* (b) *Te Polypheme tuis jam constravisse sub antris Dicitur, & Libycos silvis pepulisse leones.* (c) *Sidereum juvenem, genitumque ex stirpe Deorum.* (d) *Hunc simul Italidesque nurus, puerique, senesque Attoniti adverso certatim a littore laudant.*

v. Quintò, alij viderunt per imaginationem visa quædam portendentia futura, alij verò audiebant vocem interiùs loquentem, & futura enunciantem. Hoc posterius frequentiùs accidit Prophetis, fuitque perfectius. Auditus enim sermo distinctiùs & clariùs enunciat rem, quàm symbolum aut signum eius visum. Perfectissimus verò modus fuit, cùm simul viderent visionem & audirent vocem illam explicantem, sicuti cap. 1. Ieremias vidit ollam succensam, & mox audiuit quòd illa portenderet incendium & excidium Hierosolymæ, & aliarum gentium per Nabuchodonosorem.

vi. Sextò, alij audierunt res naturales, vt euenta & successus bellorum, regum, monarchiarum: alij res supernaturales, vt vocationem Gentium, reprobationem Iudæorum, mysteria Trinitatis, incarnationis, passionis Christi. Hoc illo fuit perfectius.

vii. Septimò, aliquando iussi sunt à Deo non tantùm verbis, sed & factis prophetare & portendere futura; vt cùm Isaias nudus incessit cap. 20. portendit spoliationem & nuditatem Aegypti & Aethiopiæ; cùm Ieremias cap. 27. v. 2. vincula & compedes collo gestauit, portendit captiuitatem Babylonicam: cùm Ezechiel trecentis nonaginta diebus in vno latere cubauit, ac fimum boum comedit, portendit obsidionem & famem Hierosolymæ, Ezech. 4. v. 4. & 11.

viii. Octauò, non tantùm rem videbant, & verba audiebant, sed & subinde videbant personam loquentem & res demonstrantem: idque erat perfectissimũ; quia per hoc ostendebatur quòd mens Prophetæ, magis appropinquabat ad causam reuelantem. Rursum perfectius erat, si persona loquens videretur in specie Angeli, quomodo visa est passim à S. Ioanne in Apocalypsi, quàm si videretur in specie hominis, quomodo Ieremias & Onias apparuerunt Iudæ Machabæo, 2. Machabæorum 15. 15. dicente Ieremia: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.*

Denique vtroque perfectius erat, si persona loquens videretur in specie Dei, quomodo vidit Isaias cap. 6. Deum sedentem in folio, indeque secum colloquentem. Ita D. Thomas art. 3. citato.

Huic diuisioni similis & subalterna est diuisio Isidori lib. 7. Etymol. cap. 8. & ex eo D. Thomæ 2.2. q. 174. art. 1. ad 3. *Prophetiæ*, inquit, *genera sunt septem. Primum est ecstasis, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas submissum de cælo cum variis animalibus. Secundum est visio, sicut apud Isaiam dicitur, Vidi Dominum sedentem. Tertium est somnium, sicut Iacob scalam dormiens vidit Genes. 28. 12. Quartum genus est per nubem, sicut ad Moysen loquebatur Dominus. Quintum est vox de cælis, sicut ad Abraham sonuit Deus dicens: Ne mittas manum in puerum, Genes. 22. 12. Sextum est accepta parabola, vti contigit Balaam Numer. 23. 7. Septimum est repletio Spiritus sancti, sicut penè apud omnes Prophetas.*

Secunda diuisio prophetiæ septuplex Isidori.

Hæc diuisio sumitur ex varietate tum modorum, tum obiectorum & formarum imaginabilium vel sensibilium prophetiæ. Tria enim prima, puta ecstasis, visio & somniũ, sunt tres modi prophetandi; tria verò sequentia sunt obiecta & signa sensibilia, quæ perceperunt Prophetæ. Inter quæ primum est, res quædam corporea exteriùs apparens visui, quam ponit quarto loco. Secundum est, vox formata, exterius, ad auditum hominis delata, quam ponit quinto loco. Tertium est, vox per hominem formata cum similitudine alicuius rei, quod pertinet ad parabolam, quam ponit sexto loco.

Rursum quoad modos prophetandi, Isidor. ibidem & S.

A enthusiasmo abrepti aut furiis perciti prophetabant; quod idem contigit Montani prophetissis, & dæmoniacis aliis. Hinc Cicero lib. 1. de Diuinitat. *Negat*, inquit, *Democritus sine furore poëtam magnum esse posse.* Et rursum: *Inest igitur animis præsagitio extrinsecus iniecta, atque inclusa diuinitus. Ea si exarsit acriùs, furor appellatur, cum à corpore animus abstractus, diuino instinctu concitatur.* Horum verò mens sibi constabat; sciebant quid dicerent, sponte loquebantur, non in ecstasi, ne illa quidem quæ priùs in ecstasi acceperant, vti docet S. Hieronymus præfatione in Isaiam, & S. Paulus: *Spiritus*, ait, *Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* 1. Cor. 14. 32.

Porrò Sibyllæ, non dæmonis, sed Dei fuerunt prophetissæ, quæ merito virginitatis, vti asserit sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, donum prophetiæ adeptæ, de futuris, ac præsertim de Christo tanta prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur, vt præterita magis scribere videantur, quàm futura. Fuerunt illæ decem, quarum cognomina patria sunt hæc: Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Libya, Samia, Delphica, Phrigia, Tyburtina, Erythræa. Hinc nonnulli Sibyllam dictam volunt, quasi σιὸς

B βουλὴ, id est Dei consilium, quòd nimirum illud ipsæ hominibus enunciarent. Aeolicè enim Deus vocatur σιὸς pro θεὸς, Vnde S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. post tertiam libri partem, *Quid*, inquit, *referam Sibyllas, &c. quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio? Quòd si Aeolici sermonis genere Sibylla θεοβούλη appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Sic & Epiphan. hæresi 78. *Philippo*, ait, *Euangelistæ quatuor fuerunt filiæ prophetantes*, Actor. 21. v. 28. *prophetabant autem propter virginitatem, quam habere digne factæ erant.* Hinc & Virgil. l. 6. Aeneid. Sibyllam Cumæam Aeneæ fata, puta casus ei obuenturos, vaticinantem ita depingit:

——— Magnam cui mentem, animùmque
Delius inspirat vates, aperitque futura. & inferiùs;
Ventum erat ad limen, cùm virgo poscere fata
Tempus ait. Deus ecce Deus: cui talia fanti
Ante fores subitò non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiórque videri;
C *Nec mortale sonans, afflata est numine quando*
Iam propiore Dei. & inferiùs.
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Vide de Sibyllis eorumque oraculis, tum carmina earum apud S. August. Euseb. & alios, tum Suidam verbo *Sibylla*, & Sixtum Senensem, lib. 2. Biblioth. verbo *Sibylla*.

Rogabis, an Prophetæ prophetias suas omnes intellexerint; hoc est, an semper oraculorum, tum auditorum, tum potiùs visorum, hoc est symbolorum suorum significationem & explicationē à Deo acceperint? Respondeo: Id incertum est; certũ est illos eam accepisse, cùm eam scribunt, & enarrant, cùm autem eam non scribunt, nec enarrant, an eam acceperint, ignoramus. Credibile est subinde accepisse, subinde non. Voluit enim Deus eos, vtpote Prophetas, secretorũ suorum conscios facere præ aliis hominibus, ac plura scire quàm scribere; ex alia tamen parte voluit & quædam secreta sibi seruare, nec ipsis commu… Perinde ac Rex quædam secreta sibi seruat,
D quæ … ario patefacit. Sic & Christus parabolarum … aliarum rerum secreta sibi seruauit, q… …lli alteri reserauit. Ita Ezechielis cap… …rum Dei, Cherubim, rotas, firmam… …dentem in solio specie ele-

An Prophetæ omnes suas prophetias intellexerint.

Resp. negatiuè.

